R 403

A

B

C DE VIGNALOVRT Grand Maistre de Malte . mourut le 4. Sept. 1622. et son succ. esleu . Mercure Franc. t. 9. p. 81

LOVYS MENDES Portugais esleu Grand maistre an. 1622 Mercure Franc. t. 9. p. 81.

ANTOINE DE PAVLE Tolosain mourut apres avoir esté Grand Maistre 13. ans et 3. mois le 9. iuin 1636. et son succ. esleu. Gaz. 1636. p. 458.

D LE S.r DE CASTELAR Provençal aagé de 70. ans. Gaz. 1636. p. 459

C. 5. 23

7.a.1588.


DE REGVLA
F. RAYMVN
DVS DE PO
DIO
In nomine Dni
Amen.
Iohannis Bap
tiste
Hierusalem
STATVTA HOSPITALIS HIERVSALEM

HMML Rare
CR
4717
.K54
1588




*Purpureum Hugoni tradis dum, Sixte, galerum,*
*Floreat ut sparso sanguine sancta fides,*
*Hugonis tunc Roma lupos ut uidit auitos,*
*Commiſsum ut geminis uidit ouile lupis,*
*Risit, et, ô, dixit quæ me noua gaudia tentant!*
*Ecce lupos abigent ex oriente lupi.*
*Infantem ut nutrix aluit lupa Martia Romam,*
*Sic his Romanum crescet ouile lupis.*

AD futuram rei memoriam. Salubri regularium
perſonarũ quarumlibet directioni ſolicitis ſtu-
dijs intendentes, ijs, quæ ad id tendere digno-
ſcũtur noſtræ approbationis robur libẽter adij-
cimus, aliaſq; de ſuper diſponimus prout in do-
mino cõſpicimus ſalubriter expedire. Sanè pro
parte dilectorum filiorum Hugonis de Loubenx Verdala Magni
Magiſtri, & Capituli Generalis Hoſpitalis Sancti Ioannis Hie-
roſolymitani nobis nuper exhibita petitio cõtinebat, quod licet alias
fe: re. Paulus Papa III. Stabilimenta, concordias, ſtatuta, conſue-
tudines, vſus, & naturas dicti Hoſpitalis in vnum volumen re-
dacta, & per nonnullos S. R. E. Cardinales examinata per ſuas
literas approbauerit, & confirmauerit, ac dictarum literarum
ſuarum patrocinio communierit, ſupplens omnes & ſingulos de-
fectus, ſi qui interuenerant in eiſdem, eaq; voluerit, & mandaue-
rit in poſterum inuiolabiliter obſeruari; decernens tunc, et pro tem
pore exiſtentes Magiſtrum, & Fratres dicti Hoſpitalis ſeu eius
Religionis, ad eorum duntaxat ex inſtitutis regularibus ſtabili-
mentis, ſtatutis, conſuetudinibus, vſibus, & naturis, quæ hacte-
nus viguerant in ipſo Hoſpitali, obſeruantiam teneri & obliga-
ri, quæ in ea noua eorum moderatione, & ordinatione contineba-
tur, & non aliorum, quæ vtpote inutilia, & ſuperflua, aut alias
inobſeruabilia tenta fuerant, & ſi in eorum in Fratres receptione
de illorum obſeruationis promiſſione, iuramento, & voto ſe aſtrin-
xiſſent, prout in eiſdem litteris, in quibus tenor de nouo ordinato-
rum ſtatutorum, & ſtabilimentorum, concordiarum vſuum, &
conſuetudinum de verbo ad verbum inſertus fuit, plenius conti-
netur: Nihilominus ipſi Hugo Magiſter, & conuentus conſide-
rantes quod in eiſdem ſtatutis, ſtabilimentis, & conſuetudinibus
plura erant, quæ cum tunc temporis moribus non ſatis cõueniebãt,
aut confuſe, & obſcure poſita reperiebantur, & propterea litibus
viam dabant, alia vero inter ſe diſſidebant, & contrarium ſen-
ſum preſeferre videbantur, ac complura ad rem nihil omnino fa-
ciebant, opera nonnullorum ipſius Hoſpitalis fratrum, illius nego-
tiorum peritiſſimorũ ad id ſpecialiter deputatorum effecerunt, vt
ſublatis quantum fieri potuit difficultatibus, & omni ambiguo in-

tellectu,

tellectu, dilucidatis obſcuris, & ijs, quæ diſsidere videbantur, in vnum ſenſum adductis, & quibuſdam non neceſſarijs reſecatis, ac additis permultis alijs ſtabilimentis ad diuini cultus augmentum, & ipſius Hoſpitalis vtilitatem, ac ſalubrem illius perſonarum directionem tendentibus, quæ poſtmodum per quondam Ioannem de Valletta tunc in humanis agentem, & ipſius Hoſpitalis Magiſtrũ, & dictum Hugonem, ac alios ipſius Hoſpitalis Magiſtros ſucceſsiue edita fuerant, & ab omnibus deſiderabantur, & efflagitabantur, ſtatuta, ſtabilimẽta, et conſuetudines huiuſmodi in vnũ nouũ volumen, ſub nomine ipſius Hugonis Magiſtri redigerẽtur, et cõpilarentur. Quare Io. Baptiſta Rondinellus dicti Hoſpitalis Frater, & prædicti Magiſtri, & conuentus Hoſpitalis S. Ioannis apud nos Orator pro parte Hugonis Magiſtri, et Capituli præfatorum nobis humiliter ſupplicauit, vt ſtatutis, ſtabilimentis, et conſuetudinibus in vnũ nouum volumen, vt præfertur, redactis, & compilatis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur noſtræ approbationis adijcere, aliaſq; in præmiſsis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ad præclara Religionis huiuſmodi merita debitum reſpectum habentes, & conſiderantes, illius Fratres fidei catholicæ indefeſſos propugnatores, cultores, & defenſores exiſtere, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtabilimenta, ſtatuta, & conſuetudines in vnum nouum volumen ſub nomine ipſius Hugonis Magiſtri, vt præfertur, redacta, & cõpilata, quæ per dilectum filium noſtrum Antoniũ tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli presbiterum Cardinalem Carafam inſpici, & examinari fecimus, ac de quorum continentia ab eodem Antonio Cardinali fidelem habuimus relationẽ, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ſupplentes omnes, & ſingulos, tam Iuris, quã facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem, eaq; omnia perpetuis futuris temporibus valida, & efficacia fore, ſuoſq; plenarios effectus ſortiri, & ea ſolum, & non alia antiqua, ab omnibus inuiolabiliter obſeruari debere decernimus. Non obſtantibus præmiſsis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq;. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die xx. Martij M. D. LXXXVI. Pontificatus noſtri anno Primo.

Io. Baptiſta Canobius.




*ANGELORVM PRÆCES.*

*Suſcipe ſancte Pater tutelæ gaudia noſtræ*
*Militibus dona præmia digna tuis*

*RESPONSVM.*

*Qui uitam poſuere ſuam pro nomine Chriſti*
*Vobiſcum merito præmia tanta gerant*


FR. GERARDVS tum hoſpitalis præfectus cum a Chriſtianis Duce Godofredo Hyeruſalem capta eſt anno Dñi MLXXXXIX
FRATER RAYMVNDVS DE PODIO
FRATER AVGERIVS DE BALBEN
FRATER ARNALDVS DE COMPS
I
II
III
IV
Phil. Thomi gall. fe.


FRATER GILBERTVS ASSALY
V
FRAT. R GASTVS
VI
FRATER IOBERTVS
VII
FRATER ROGERIVS DE MOLNIS
VIII
Phil. tho. fe.


F. GARNERIVS DE NAPOLI SVRIÆ
IX
F. ERMENGARDVS DAPS
X
XI
F. GOTFREDVS DE DVYSSON
XII
F. ALPHONSVS DE PORTVGALLIA
Phil. tho. gall. fe.




F. GOTFREDVS LERAT
F. GVARINVS DE MONTE ACVTO
XIII
XIV
XV
XVI
F. FRATER GERINVS
F. BERTRANDVS DE COMPS
Phil.


F. PETRVS DE VILLEBRIDE
F. GVLIELMVS DE CASTELNO
XVII
XVIII
XIX
XX
FRATER HVGO REVEL
F. NICOLAVS LORGVE
Phil. Thom. gall. fe.


F. IOANNES DE VILLERS
XXI
F. ODO DE PINIBVS
XXII
F. GVLIELMVS DE VILLARET
XXIII
F. FVLCO DE VILLARET
XXIV
Phil.


FR. MAVRITIVS DE PAGNAC. VIVENTE FVLCONE DE VILLARET A COVENTV ELECTVS
XXV
F. ELIONVS DE VILLANOVA
XXVI
F. DEODATVS DE GOZONO
XXVII
F. PETRVS DE CORNILLIANO
XXVIII
Phil. Thom. Gallus fe.


DE PINIBVS F. ROGERIVS
BEREGARIVS F. RAYMVNDVS
XXIX
XXX
XXXI
XXXII
DE IVLI F. ROBERTVS
DE HEREDIA F. IOANES FERDINANDVS
Phil. Thom. gall. fe.




F. PHILIBERTVS DE NILLIACO
F. ANTONIVS FLVVIANVS
XXXIII
XXXIV
XXXV
XXXVI
F. IOANNES DE LASTIC
F. IOBERTVS DE MILLY
Phil. Thom. gall. fe.



F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA
F. IOANNES BAPTISTA DE VRSINIS
XXXVII
XXXVIII
XXXIX
XL
F. PETRVS DAVBVSSON S.R.E. DIACONVS CARDINALIS
F. EMERICVS DAMBOISSEN
Phil: Thomassinus fe.


F. GVIDO DE BLANCHEFORT
XLI
F. FABRITIVS DE CARRETTO
XLII
XLIII
F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM
XLIV
F. PERINVS DE PONTE
Phil. tho. gall. fe.




F. DESIDERIVS DE TOLLONO DE SANTA IALLA
XLV
F. IOANNES DE HOMEDES
XLVI
XLVII
F. CLAVDIVS DE SENGLE
XLVIII
F. IOANNES DE VALLETTA
Phil. Thom. gall. fe.


F. PETRVS DE MONTE
F. IOANNES LEVESQVE DELLA CASSIERE
ECCE SVA VIRIDI VERDALA EXTOLLITVR ALA
QVEM AVGET MERITO PVRPVRA DIGNA TEGIT
F. HVGO DE LOVBENX VERDALA S.R.E. DIAC. CARD



*Hac tabula expressa ad uiuum est Hugonis imago,*
*Adspice, Mars toto spirat in ore ferox.*
*Quæris adhuc mentem? Verùm, quam reddere Pictor*
*Non potuit, mentem reddidit Hugo suam.*
*Namq; graues Equitum quando compescuit iras,*
*Tunc animi expressit inuida signa sui.*
*Quæris adhuc dextram? sed Principis inclyta bello*
*Dextera, Pictoris fingier arte nequit.*
*Armatam Pictor bis nisus fingere dextram,*
*Pictori attonitæ bis cecidere manus.*
*Attamen hic Pictor quas supprimit, auspice Sixto*
*In Solymos proprias exprimet Hugo manus.*

FRATER HVGO DE LOVBENX VERDALA Dei gratia ſacræ domus Hoſpitalis Sancti Ioannis Hieroſolymitani Magiſter humilis, pauperumq. IESV CHRISTI Cuſtos, & nos Baiuliui, Priores, Commendatarij, & Fratres, Concilium completum Retentionum Capituli Generalis in Domio celebrantes. Vniuerſis & ſingulis eiuſdem domus Fratribus pręſentibus & futuris ſalutem & fraternam charitatem. Varia & inconſtans rerum humanarum conditio hoc habet, vt quæ omnibus temporibus ritè concernant nullis vnquam legibus conſtitui poſſint, quòd cùm noſtri maiores prudenter intelligerent nonnulla à ſuis anteceſſoribus ſancita iura aut penitus abolenda, aut mutanda in melius eſſe cenſuerunt, quorum nos authoritate & exemplo commoti, aut potius neceſſitate publica exigente coacti, cum nonnullas quæ illi quondam tulere leges quamuis vt tùm tempora ferebant reipub. vtiles noſtro tamen æuo ob varium hominum ingenium, aut planè damnoſas, aut nullum omnino commodum afferre videremus, delectis in Capitulo Generali ex noſtro numero aliquot rerum huius ordinis peritiſſimis viris; eos magnopere hortati ſumus vt ſumptis tàm vetuſtis quàm recentioribus ſtatutis quæ hactenus inter nos vigebant, illa quanta fieri poſſet diligentia inſpicerent, quęq. abrogatione, correctione, aut illuſtratione digna eſſe cenſerent pro ſuo arbitratu, aut prorſus delerent, aut in meliorem formam clarioremq. redigerent: Quòd cùm illi non minori ſolertia quàm fide præſtitiſſent, ita vt ſuis in hac parte laboribus nonnihil reipublicæ conſuluiſſe viderentur, additis permultis quæ deerant, hæc tantum quæ in hoc volumine continentur ſtatuta efficacia ac vtilia eſſe retulerunt.

# INDEX TITVLORVM in præſenti volumine contentorum.


| | | |
|---|---|---|
| *DE Regula.* | *Tit. I.* | *fol.* 1 |
| *De Receptione Fratrum.* | *Tit. II.* | *fol.* 5 |
| *De Eccleſia.* | *Tit. III.* | *fol.* 19 |
| *De Hoſpitalitate.* | *Tit. IIII.* | *fol.* 31 |
| *De Communi ærario.* | *Tit. V.* | *fol.* 41 |
| *De Capitulo.* | *Tit. VI.* | *fol.* 65 |
| *De Concilio.* | *Tit. VII.* | *fol.* 77 |
| *De Sgardio.* | *Tit. VIII.* | *fol.* 91 |
| *De Magiſtro.* | *Tit. VIIII.* | *fol.* 97 |
| *De Baiuliuis.* | *Tit. X.* | *fol.* 105 |
| *De Prioribus.* | *Tit. XI.* | *fol.* 123 |
| *De Officio Fratrum.* | *Tit. XII.* | *fol.* 131 |
| *De Electionibus.* | *Tit. XIII.* | *fol.* 135 |
| *De Commendis & adminiſtrationibus.* | *Tit. XIIII.* | *fol.* 145 |
| *De Viſitationibus.* | *Tit. XV.* | *fol.* 163 |
| *De Contractibus & alienationibus.* | *Tit. XVI.* | *fol.* 159 |
| *De Locationibus.* | *Tit. XVII.* | *fol.* 175 |
| *De Prohibitionibus & pœnis.* | *Tit. XVIII.* | *fol.* 181 |
| *De Verborum ſignificatione.* | *Tit. XVIIII.* | *fol.* 201 |


REDDITE
RETRIBVET

# DE REGVLA

## TITVLVS PRIMVS.

## *REGVLA HOSPITALARIORVM & Militiæ Ordinis ſancti Joannis Baptiſtæ Hieroſolymitani.*

### F. RAYMVNDVS DE PODIO MAGISTER.

IN nomine Domini, Amen. Ego Raymundus Seruus pauperum Chriſti, & Hoſpitalis Hieruſalem Cuſtos, de I.
Concilio Capituli fratrum inſtituo hæc in domo Hoſpitalis ſancti Ioannis Baptiſtæ Hieruſalem. Præcipio enim quòd omnes fratres accedentes ad obſequium pauperum, & tuitionem fidei Catholicæ teneant, & cum diuino præſidio ſeruent tria, quæ promiſſa ſunt Deo, videlicet caſtitatem, obedientiam: hoc eſt, quòd adimplebunt, quicquid eis erit iniunctum à ſuo Magiſtro: atque viuere ſine proprio: quoniam Deus requiret hæc tria ab eis in vltimo iudicio.

## *EXERCITIVM MILITIÆ pro Chriſto.*

### CONSVETVDO.

ORDO noſter ab eius primæua inſtitutione Sacro ſanctæ Sedis II.
Apoſtolicæ, Catholicorumq. Regum, Principum, & deuotorum Chriſticolarum munificentia, ſuffragio, fauore prædijs, poſſeſſionibus, ditionibus gratijs, priuilegijs, immunitatibus dotatus, auctus, ampliatus, ditatus eſt: vt vera charitate virtutum matre, firmaq. baſi intenti milites ordinem profeſſi, ſanctæ Hoſpitalitati fidei militiam adiungerent, cumularent, copularent, dupliciq. fungentes officio & exercitio, geſtis virtuoſis ſeſe dicarent. Peculiare certe, & proprium eſt Chriſti militibus (non poſtpoſitis ſacræ Hoſpitalitatis ſanctis operibus) pro Chriſti nomine, pro cultu diuino, pro fide catholica pugnare, iuſtitiam colere, reuereri, tueri, oppreſſos fouere, ſubleuare, defendere. Ad hoc enim Hoſpitalarij milites, Chriſti hoſpitalitatem & militiam exercentes, exteriori veſte ſignum crucis

octogonum deuota conſideratione virtutibus inſignitum geſtant: vt interiori etiam veſte viuificæ crucis ſignum ſpiritualiter deferant, dextraq. manu acutum vibrantes gladium, poſt multifariam eleemoſynarum elargitionem, gentem Mahumetanam, & qui à fide deuiant, oppugnent, premant, peſſundent. Quibus quidem ſanctis operibus addicti, ſanctorum martyrum militum Machabæorum pro cultu diuino pugnantium exemplum ſaluberrimum ſequi, imitariq. monentur, inuitantur, accenduntur. Qui pauci innumeros exercitus prophanarum gentium diuino adiuti præſidio quandoq. premere, vincere, ſubijcere ſoliti ſint. Meminerint, perpetuaq. mente teneant Religioſi milites noſtri, cultus diuini zelo informati Sacratiſſimæ Regulæ vota ſubſtantialia, obedientiam, caſtitatem, paupertatem tenere, complere, perficere: virtutibuſq. moralibus, & Theologicis intendere ſtudeant. Quibus prudenter, temperanter, fortiter, charitate inflammati pro Chriſti Saluatoris noſtri ſacro nomine, pro viuificæ crucis ſigno, pro iuſtitia, pro pupillis, pro viduis gladio exerto quæq. certe pericula aggredi non formident. Nemo quippe maiorem charitatem habet, quàm vt animam, ideſt, vitam ponat pro amicis, ideſt, catholicis. Id eorum proprium eſt, ea eſt vocatio, ea eſt electio, ea eſt iuſtificatio, ea denique eſt ſanctificatio: vt hac peregrina vita peracta, ſpe firma erecti, æterno fruantur præmio, ad quod humanum genus à Deo creatum eſt. Ei vero, qui ſanctorum operum, & belli (quod pro Chriſtiano nomine geretur) præuaricator, detractator, deſertor, conuictus fuerit, ad peruerſorum terrorem, & proborum laudem animaduerſio, & ſeuera pœna pro ſtatutis & conſuetudinibus ordinis propoſita haud immerito cenſetur.

## DE POENA TRANSGRESSIONIS *Regulæ, & ſtatutorum.*

### F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

III. VT fratres ordinis noſtri Regulæ, ac Statutorum tranſgreſſores non fiant, decernentes declaramus, quòd contentorum in Regula tranſgreſſio animam corpuſq. obligat: Statutorum autem, & conſuetudinum infractio & violatio corpus tantum ad pœnam obnoxium reddit: niſi horum quorundam omiſſio, aut tranſgreſſio ſecundum ius diuinum, aut canonicas ſanctiones animam obligaret.

### F. ANTONIVS FLVVIANVS.

IIII. PRæcipimus vt in aſſembleis, quæ in ieiunijs quatuor temporum celebrantur, Regula palàm coram omnibus fratribus legatur.

### F. PETRVS DAVBVSSON.

V. SAncimus quòd poſt Regulam legantur Statuta infraſcripta.

*De Regula.*

II. Exercitium militiæ pro Chriſto.
III. De pœna tranſgreſſionis Regulæ, & Statutorum.

*De receptione Fratrum.*

III. De habitu fratrum Hoſpitalis Hieroſolymitani.

De

## De Eccleſia.

I. De rebus diuinis, ac ſacris colendis.
II. De orationibus per fratres quotidie dicendis.
III. Dies in quibus Fratres ieiunare tenentur.
XXXIII. Dies in quibus Fratres mantellum portare tenentur.

## De Hoſpitalitate.

I. Quòd Fratres Hoſpitalitatem exerceant.

## De communi ærario.

XXII. De debitoribus noſtri communis ærarij.

## De Capitulo.

III. Quòd Fratres accedant ad capitulum generale.

## De Magiſtro.

I. Quòd Fratres obediant Magiſtro.

## De officio fratrum.

V. De honeſto veſtitu Fratrum, cum ſequenti.
VIII. Quòd Fratres in armis ſe exerceant.
IX. Quòd Fratres quolibet anno conficiant deſpropriamentum.

## De Commendis.

XXXVIII. De Reſignationibus.
XXXIX. De pœna reſignantium.
LXV. Quòd Fratres non impetrent commendas, aut beneficia extra ordinem noſtrum.

## De Contractibus & alienationibus.

III. Quòd fratres non exerceant mercimonia.
IIII. Inhibitio fœnoris, & vſuræ.
V. Quòd bona ordinis noſtri non alienentur.
VI. Quòd nullus frater impignoret, aut obliget bona ordinis noſtri.
X. Quòd fratres non alienent bona acquiſita.

## De prohibitionibus & pœnis.

I. Quòd non licet fratribus teſtamenta condere, hæredem inſtituere, aut legata facere.
XIIII. Quòd fratres non diſcedant à conuentu ſine licentia.
XVI. Quòd fratres non impetrent literas commendatitias pro obtinendis commendis.
XXXII. Caſus per quos fratres habitu priuantur cum quatuor ſequentibus.
LII. De concubinarijs publicis, cum ſequenti.
LXI. De obedientia.
LXIIII. De pœna eorum qui non interſunt officijs diuinis.


IN HOC
VINCES
INDVIMINI NOVVM HOMINEM
VT CVM HOC AVT IN HOC.

# DE RECEPTIONE FRATRVM

## TITVLVS SECVNDVS.

### *QVALITER FRATRES RELIGIONIS Hieroſolymitanæ recipi debent ad profeſſionem.*

### CONSVETVDO.

QVI infirmorum obſequio, ac fidei catholicæ tuitioni ſub I.
habitu regulari ordinis noſtri perſonam adſcribere cupiunt, hac norma formaq. ad profeſſionem deuote admittuntur. Qui enim profeſſurus eſt, ſciat nouum hominem ſe induere. Igitur labem omnis iniquitatis abijciens, confeſſionem de more Eccleſiæ ſacerdoti humiliter peragat, ſicq. mundus, & vitijs purgatus cum veſte longa ſæculari ſolutaq. (vt ſe liberum oſtendat, qui ſuaui laqueo vinctus erit) reuerenter genibus flexis ante altare ſe præſentet ardentem cæreum manibus tenens (vt charitatem ſignificet, quæ amor eſt igneus) miſſamq. audiat, Euchariſtiamq. ſuſcipiat: & ante ſuſcipientem fratrem ea reuerentia conſtitutus humiliter ab eo petat, ſe ad fratrum & ſacræ Religionis hoſpitalis Hieruſalem conſortium comitiuamq. admitti. Tunc frater ſuſcipiens diſcretis & deuotis verbis petentis propoſitum roboret, docens quàm ſalubre, quàm præclarum exiſtat pauperibus Chriſti ſeruire, ac miſericordiæ opera exequi, & fidei obſequio ac tuitioni ſe adſcribere. Multi quidem id expetiuerunt, ſed aſſequi non valuerunt. Demùm de Religionis obedientia, & ſeueritate eum doceat, qua non priuatos appetitus ipſum ſequi licet: quinimo ſuperioris arbitrio viuere oportet, propria abnegata voluntate. Qui, ſi quandoq. quidpiam agere voluerit, aliud obedientiæ vinculo perficere compelletur. Quo peracto, interrogetur profeſſurus: ſi hoc complere paratus ſit. Si ſe paratũ eſſe reſpondet, vlterius interrogetur: ſi alterius Religionis vota emiſerit, ſi nuptias contraxit, & matrimonium per carnalem copulam conſummauit, ſi alicui perſonæ graui debito ſit aſtrictus, vel ſi ſeruus alicui adſcriptus; nam ſi aliquid horum poſt votorũ emiſſionem commiſiſſe aut eſſe comperiretur, tunc ei cui aliquo modorum prædictorum eſſet aſtrictus, habitu Religionis ablato, cum ſua ignominia tamquam fidei ſemel datæ tranſgreſſor reſtitueretur. Si præmiſſa negauerit & ſe liberum affirmauerit, tunc frater recipiens miſſale exhibitum aperiat, quo aperto ambas manus iunctas profeſſurus ſuper ſacras literas apponat: ſicq. fratre recipiente, interrogante, & qui recipitur reſpondente, profiteatur in hæc verba. EGO N. voueo & promitto Deo omnipotenti, Beatæq. Mariæ ſemper Virgini Dei genitrici, ac ſancto Ioanni Baptiſtæ perpetuo, cum Dei auxilio, ſeruare veram obedientiam cuicumq. ſuperiori qui à Deo & Religione noſtra mihi dabitur, amplius viuere ſine proprio, & caſtitatem ſeruare. Et continuò poſt hæc leuet manus à ſacris ſcripturis, & recipiens frater dicat. Recognoſcimus te eſſe ſeruum dominorum Pauperum infirmorum & tuitioni fidei catholicæ dedicatum. Qui profeſſus ſubiungat. Ita me eſſe cognoſco. Poſtea miſſale oſculetur, quo ſumpto ipſum deferat ad altare & illic reponat, & poſt altaris oſculum ad recipientem miſſale

reportet in veræ obedientiæ ſignum. Quibus ſic peractis recipiens pallium nigrum aſſumit, quod manibus tenens oſtendat profeſſo Crucem albam & dicat. Credis Frater quod hoc ſit ſignum viuificæ crucis, in qua Chriſtus mortuus eſt,& pro nobis peccatoribus redimendis pependit ? At ille reſpondet: Credo. Vlterius recipiens dicat. Hoc eſt noſtrum ſignum, quod iubemus vt ſemper in habitu geſtes. Poſtea vero profeſſus ſignum Crucis oſculetur. His actis recipiens pallium & crucem ante pectus in parte ſiniſtra imponat ipſumq. oſculetur & dicat. Accipe hoc ſignum in nomine ſanctæ Trinitatis, Beatæq. Mariæ ſemper Virginis & ſancti Ioannis Baptiſtæ ad augumentum fidei, & tuitionem Chriſtiani nominis atque pauperũ obſequium. Ideo enim frater tibi Crucẽ in hac parte ponimus,vt hanc toto corde diligas,& dextra pugnes,& defendas,& defenſam conſernes. Nã ſi pro Chriſto contra fidei hoſtes pugnans ſanctæ Crucis vexillum pedem referẽs deſeras,& ex bello tam iuſto fugias, pro ſtatutorũ & conſuetudinũ ordinis forma ſigno Crucis ſacerrimo merito tu voti violator priuaberis & tamquam fętidum membrũ à cætu noſtro expulſum iri te noueris. Deinde pallij laqueum collo liget dicens: Accipe iugum Domini quia ſuaue & leue eſt, ſub hoc inuenies requiem animę tuæ, ſubinde dicat: Non delitias tibi, ſed panem & aquam, & humilem veſtitum tantum promittimus, atque participem facimus animam tuam, tuorumq. parentum & conſanguineorum in bonis operibus ordinis noſtri, fratrũq. noſtrorum, quæ per vniuerſum orbem fiunt, & in futurum fient. Profeſſus dicat: Amen, quaſi dicat. ita ſit, oro, & tunc frater recipiens primo, deinde circumſtantes ad amplexus & oſculum nuper profeſſum recipiant: quod ſit amoris, pacis fraternęq. dilectionis ſignum. Sacerdotes autem qui adfuerint, præſertim ille qui miſſam celebrauerit, orent in hunc modum.

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Pſal.

Magnus dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius, &c. Pſalm.

Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum, &c.

Gloria patri,& filio, &c. Sicut erat, &c. Suſcepimus Deus,&c. vt ſup.

Pſalm. Ecce quam bonum & quam iucundum, &c. Gloria patri, &c. Suſcepimus Deus,&c. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter,&c. Et ne nos inducas,&c. ℣. Saluum fac ſeruum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mitte ei domine auxilium de ſancto. ℟. Et de Syon tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Eſto ei domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici & perſequentibus eum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

ORATIO.

DEVS qui iuſtificas impium & non vis mortem peccatorum maieſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, vt hunc famulum tuum de tua miſericordia confidentem, cæleſti protegas benignus auxilio; & aſſidua protectione conſerues,vt tibi iugiter famuletur,& nullis à te tentationibus ſeparetur. Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus prætende ſuper famulum tuum. N. ſpiritum gratiæ ſalutaris, & vt veritate tibi cõplaceat, perpetuum ei rorem benedictionis tuæ infunde. Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

SVſcipiat te dominus in numero fidelium, & licet nos indigni te ſuſcipimus in orationibus noſtris. Concedat tibi dominus locum, bene agendi, volunta

tem perſeuerandi, & gratiam ad æternæ vitæ beatitudinem hæreditatemq. fæliciter perueniendi: vt ſicut nos charitas fraternitatis coniunxit in terris, ita diuina pietas quæ dilectionis auxiliatrix eſt, cum ſuis fidelibus te coniungere dignetur in cælis, præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto. Qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

## DE DIVISIONE GRADVVM *Fratrum ordinis noſtri.*

### CONSVETVDO.

FRATRVM noſtrorum triplex eſt differentia. Alij enim ſunt milites, alij ſacerdotes, alij ſeruientes: ſacerdotum item & ſeruientium ſtatus, rurſus in duo diuiditur. Sacerdotum in ſacerdotes conuentuales, & ſacerdotes obedientiæ. Seruientium, in ſeruientes armorum, videlicet, in conuentu receptos, & ſeruientes officij ſiue ſtagij. Qui verò ſub gradu militiæ ad hoc idoneus & aptus pro forma ſtatutorum & conſuetudinum, ad profeſſionem ordinis noſtri admitti poſtulabit, priuſquam habitum ſuſcipiat & profeſſionem faciat cingulo militiæ decoretur neceſſe eſt. Si autem ab aliquo principe catholico aut altero facultatem militiam præſtandi habente, militiæ inſignia non fuerit adeptus, à fratre milite ordinis noſtri ſuam profeſſionem recipiente. aut ab altero fratre milite militiæ huiuſmodi inſignia ſecundum conſuetudinem, militiam præſtandi recipiat, & demum ordine prætacto ineat profeſſionem. Capellanos autem & ſeruientes armorum & officij inſignibus militiæ decorare non oportet, nec conſuetum, nec ordinatum eſt, ſed ſub eorum gradu ad profeſſionem admittuntur. II.

## DE HABITV FRATRVM *Hoſpitalis Hieroſolymitani.*

### F. RAYMVNDVS DE PODIO.

PRofeſſioni noſtræ congruit, vt omnes fratres Hoſpitalis clamidem ſiue mantellum nigri coloris cum cruce alba geſtare teneantur. III.

### F. NICOLAVS DE LORGVE.

IN armorum autem exercitio ſtatuimus, quòd ſagula ſiue ſupraueſtes rubeas cum Cruce alba recta deferant. IIII.

## DE QVALITATE ADMITTENDORVM *ad profeſſionem ordinis noſtri.*

### F. HVGO REVEL.

STatuimus nequis deinceps ad religionis noſtræ profeſſionem admittatur, qui ſit extra matrimonium, & à parentibus illegitimis natus præter comitum aut maioris gradus & tituli dominorum filios. V.

F. IO-

F. IOANNES DE VALLETTA.

VI. QVI quidem comitum aut maioris gradus & tituli dominorum filij, Patre, Auo, & proauo paterno ſæcularibus, ijsque comitibus aut maioris gradus, & tituli dominis ſint prognati.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

VII. ET vt ſint ex ingenua matre nati. Inſuper nulli detur habitus ordinis noſtri qui originem à Iudæis, Marranis, Saracenis, aut alijs Mahumetanis traxerit, etiam ſi filij comitum aut aliorum principum eſſent.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

VIII. PRohibentes linguis & prioratibus ne cuiquam de huiuſmodi defectu gratiam faciant, quam ſi fecerint nullam eſſe declaramus.

F. HVGO REVEL.

IX. QVicunque in alio ordine profeſſionem fecerit in noſtro nulla vnquam ratione recipiatur, & ſi receptus fuerit, habita notitia habitu priuetur.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

X. ET à conuentu expellatur ablata illi omni ſpe habitum noſtrũ, aut alimenta vel quicquam aliud in ordine noſtro ſiue ſit commenda, ſiue membrũ, vel penſio etiam de gratia ſpeciali conſequendi.

CONSVETVDO.

XI. SI quis alicui graui debito ſit aſtrictus aut matrimonium contraxerit, & id per carnalem copulam conſumauerit, ad ordinem noſtrum non admittatur.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

XII. INſuper homicidium commiſerit, aut in ſæculo exiſtens flagitioſe & peruerſe ſe geſſerit.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

XIII. NVLLI detur habitus noſtri ordinis qui annum ætatis ſuæ decimum octauum, non attigerit: Magiſtro tamen conceditur, vt octo pueros ſibi eligat ex qua voluerit natione, & in quouis gradu ad familiare, & domeſticum ſuum ſeruitium, quibus nihil de ætate vel antianitate obijci poſſit. Ita tamen vt ſint annos nati duodecim.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

XIIII. SI quis autem ſecus electus, & receptus fuerit nulla antianitatis, aut reſidentiæ prærogatiua fruatur, nec tabulam, & ſoldeam à communi ærario percipiat etiam ſi de gratia Magiſtri, & linguarũ electus & receptus erit.

IDEM

IDEM MAGISTER.

ADhærentes Sacroſancti Concilij Tridentini decreto, ſtatuimus, vt nullus ante decimum ſextum ſuæ ætatis annum expletum ad profeſſionem ordinis noſtri, ideſt, votorum emiſſionem admittatur. XV.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

NVllus omnino recipiatur qui non ſit corpore firmo, & recte compacto atque laboribus apto, proſpera valetudine, mente ſana, probisque moribus præditus. XVI.

## *DE PROBATIONIBVS FACIENDIS ante receptionem.*

F. HVGO REVEL.

QVI in fratrem militem recipi optabit neceſſe eſt, vt authenticè probet ſe ex ijs parentibus eſſe procreatum qui nomine & gentilitijs inſignibus ſint nobiles. XVII.

## *DE NONNVLLIS QVALITATIBVS requiſitis in conficiendis probationibus fratrum capellanorum & ſeruientium armorum.*

F. IOANNES DE VALLETA.

ET ſi iure noſtro in eis qui in gradum fratrum Capellanorum aut ſeruientium armorum in noſtro ordine cooptandi ſunt generis nobilitas nō exigatur, non tamen ita ex infima plebe aſſumi debent, & ſine aliquo delectu, vt incontemptibiles, & in paruo precio vulgo habeantur. Ideo ſtatuimus, vt in poſterum nemo in ordinem & gradum fratrum capellanorum, aut ſeruientium armorum, tam in conuentu quam extra conuentum ipſum, etiam de ſpeciali gratia linguarum aut prioratuum admittatur, niſi prius vna cum alijs qualitatibus per ſtatuta noſtra requiſitis & neceſſarijs legitime probauerit ſe honeſtis parentibus natum, in liberalibusq. officijs verſatum, numquam alicui in aliquo exercitio vili miniſtraſſe, aut ſe, ſeu parentes eius, hoc eſt patrem & matrem in artificijs ſordidis & mechanicis manibus proprijs operatum eſſe, exceptis ijs qui in re militari, aut præclaris ordinis noſtri obſequijs enituerit. XVIII.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XIX. QVI ordinem noſtrum ingreſſurus eſt probabit ſe eſſe natum in illius linguæ, aut Prioratus limitibus in quo ſe recipi poſtulabit.

### IDEM MAGISTER.

XX. POſtremò teneantur qui habitum noſtrum ſuſcipere volent facere coram delegatis & deputatis à Priore & capitulo prouinciali ſeu aſſemblea probationes ad receptionem ſuam per ſtatuta noſtra ordinatas, eaſque ſic factas in ipſo capitulo vel aſſemblea inſpiciendas & legendas, comprobandas aut reprobandas exhibere.

### F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

XXI. TVm demùm ſolemnibus omnium ſupradictorum inſtrumentis ad nos in conuentum mittantur. Etenim prohibemus ne qui frater miles eſſe velit habitu noſtro extra conuentum induatur.

### F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

XXII. PRohibentes vt tempus ſolitum de gratia dari ad faciendum & exhibendum probationes ſupradictas, à linguis, prioratibus, aut a magiſtro & concilio amplius concedi non poſſit. Quod contrafactum fuerit nullius roboris cenſeatur.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXIII. VOlumus etiam vt nulli detur habitus noſtri ordinis qui non habuerit clamidem quam roſtratam ſiue ad puntas vocamus cum veſte longa, & præterea ſi fuerit miles aut ſeruiens armorum arma cum ſagulo militari ideſt ſupraueſte.

## DE POENA ADMISSORVM *contra formam ſtatutorum.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXIIII. QVi præter formam ſtatutorum receptus fuerit, ſi frater Miles in fratrem armorum ſeruientem redigatur; ſi frater Capellanus in fratrem obedientiæ, ſi frater ſeruiens armorum in fratrem officij, & ſint inhabiles ad omnem adminiſtrationem commendarum & bonorum ordinis noſtri.

NVLLI

## *NVLLI IN GRADVM MILITVM ſemel recepto de eius ſtatu lis moueatur.*

### F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

STatuimus, quod qui ſemel in conuentu in gradum fratrum militum receptus fuerit ei nulla vnquam de eius ſtatu controuerſia à quoquam moueatur, niſi qui quærit talionem ſubire, ideſt, non probata intentione reijci in gradum fratris ſeruientis. Nulli verò poſt quinquennium ſuper gradu ſuo quæſtio inferatur. XXV.


IN HOC
VINCES
ACCIPITE SORORES CRVCEM DOMINI NOSTRI
IESV CHRISTI
VT CRVCIFIXAE MVNDO VINCATIS.

# DE SORORVM ORDINIS NOSTRI RECEPTIONE.

### F. HVGO REVEL.

COncedimus facultatem Prioribus, & Caſtellano empoſtæ admittendi ad profeſſionem ordinis noſtri mulieres honeſtæ vitæ ex legitimo matrimonio & nobilibus parentibus natas. XXVI.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

DVmmodo in monaſterijs habitent. XXVII.

## DE ANNO APPROBATIONIS.

### F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

SANCIMVS quòd deinceps nullus in conuentu noſtro habitum ſuſcipiat: niſi per annum in eo moram traxerit, vt illius mores, vita, & ſufficientia cognoſci poſſint, quo tempore ancianitatis, & reſidentiæ prærogatiua fruatur, tabulamq. & ſoldeam accipiat, qui contra fecerit illius temporis ancianitate non gaudeat. XXVIII

## DE RECEPTIONE FRATRVM *Capellanorum, & Seruientium pro obſequijs commendarum.*

### F. ELIONVS DE VILLA NOVA.

NON liceat cuiquam fratrum noſtrorum cuiuſcumq. conditionis exiſtat quempiam in fratrem ordinis noſtri recipere, præter fratres capellanos, ſi deficerent in eorum eccleſijs vel capellis, & ſeruientes officij pro ſuis vel commendarum quas obtinent obſequijs, & ſeruitijs. XXIX.

### F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

APprobatos tamen prius per capitulum prouinciale, ſeu aſſembleam, quibus ſunt præſentandi cum aſſignatione victus, veſtitus, & habitationis de ſuo, vel alicuius beneficij eccleſiaſtici. XXX.

## QVOD FIAT MATRICVLA DE *Fratribus Capellanis & Seruientibus receptis extra Conuentum.*

### IDEM MAGISTER.

XXXI. PRæcipimus Prioribus, & Caſtellano empoſtæ, vt de huiuſmodi fratribus extra conuentum noſtrum receptis matriculam fieri mādent, in qua omnes notentur, & conſcribantur: alioquin pro ordinis noſtri fratribus non habeantur, neque illius priuilegijs gaudeant, aut bona, & beneficia eius eccleſiaſtica obtineant.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXXII. QVI aliter quàm ſupra ordinatum eſt quēquam receperit, ſiue ſit Prior, ſiue Baiuliuus, ſiue etiam Commendatarius, priuentur omni adminiſtratione prioratuum, baiuliuatuum, & commendarum per quinquēnium, quorum fructus omnes per id tempus applicabuntur noſtro communi ærario, & ſi fuerit frater Conuentualis, per tantumdem temporis careat antianitate in fauorem filiorum arnaldorum.

## *Quod frater ſeruiens non poſſit eſſe miles.*

### F. ROGERIVS DE PINIBVS.

XXXIII NON conuenit religioſo ſtatum ſemel aſſumptū immutare, & gradum ſuæ qualitatis peruertere. Prohibemus igitur ne frater ſeruiens, cuiuſuis cō ditionis fuerit, in fratrem militem admitti poſſit. Quod ſi a principe ſæculari, aut alio militiæ inſignibus decoretur, nihilominus gradu, adminiſtratione, officio & ſtipendio fratris ſeruientis dumtaxat gaudere teneatur.

## *De forma recipiendi confratres ſeu donatos in ordine noſtro.*

### CONSVETVDO.

XXXIIII. QVI in confratrem, aut donatum ordinis noſtri recipi cupit: coram fratre ipſum recipiente reuerenter cōpareat, genibusq. flexis, poſitis manibus ſuper miſſale, quod recipiens teneat, ſpondeat in hæc verba. Ego. N. promitto Deo omnipotenti, Beatæq. virgini Mariæ Dei genitrici, ac ſancto Ioanni Baptiſtæ, Magiſtroq. Religionis Hieroſolymitanæ, quod charitatem & amorem erga Magiſtrum, fratres, & ordinem, ſecundum poſſibilitatem meam gerā: pro viribus quoq. eos ac bona ordinis defendam: quod ſi facere nequiero, eis pandam; & quæcunque ſibi nociua mihi nota, ipſis manifeſtabo; Alteriusq. religionis niſi Hieroſolymitani ordinis profeſſionem non faciam. Quem ſi profeſſus non fuero, poſt meum obitum in cemeterio Hoſpitalis ſepeliri peto. Quotannis quoque in feſto Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ, aliquid in recognitionē confraternitatis ordini elargiar. Quibus peractis frater recipiens dicat: Quia prædicta promiſiſti, ideo te animamq. tuam, tuorumq. parentum participes efficimus

omnium

omnium officiorum diuinorum, beneficiorum, orationum, miſſarum & piorum operũ: quæ perpetuo in noſtra religione fient: De quibus Dominus noſter Ieſus Chriſtus participes nos reddat. Quo peracto oſculum pacis à recipiente & alijs fratribus aſiſtentibus præbeatur: poſtea in libro confraternitatis eius nomen regiſtretur: Annotetur quoque quod anno quolibet dare pollicetur. Hæc ſeruari in receptionem confratrum iubemus, reſeruatis vſibus quorundam prioratuum in quibus fortaſſis aliter conſuetum eſſet, qui morem apud eos vſitatum in dicta receptione ſeruare debent.

### F. IOANNES DE HOMEDES.

INhibemus Prioribus & Caſtellano empoſtæ, Baiuliuis, & quibuſuis ordinis noſtri fratribus, ne quempiam in donatum ſeu confratrem ordinis noſtri ſine iuſſu & mandato Magiſtri admittant. Qui contrafecerit habitu priuetur, & ſic admiſſi inter confratres ſeu donatos noſtros non reputentur aut immunitatibus & priuilegijs donatorum fruantur & gaudeant. XXXV.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

COnfratres ſeu donati tres tantum ramos aut brachia crucis noſtræ in veſtis ſuæ parte ſiniſtra pro ſigno deferant, ideſt, crucem noſtram, dempta parte ſuperiore. Quod ſi non fecerint priuilegijs non gaudeant. XXXVI

## DE QVALITATE EORVM *qui in donatos recipientur.*

### F. IOANNES DE VALLETTA.

QVoniam in recipiendis in ordine noſtro confratribus ſeu donatis nonnullos abuſus interueniſſe compertum eſt, operæprecium duximus huic rei remedium adhibere. Quocirca hac præſenti ſanctione ſtatuimus, vt nemo deinceps ſecularis cuiuſcunque gradus & conditionis fuerit, in donatum & confratrem ordinis noſtri admittatur, niſi per Magiſtrum aut de eius mandato (vt iam ſtatutum eſt) & coram illo conſtare fecerit ſe honeſtis natalibus procreatum; & à Iudæis ſeu ſaracenis aut alijs Mahumetanis non ducere originem, probeq. & non flagitioſè ſemper vixiſſe, nullamq. artem, ſeu exercitium ſordidum aut mechanicum per ſe exercuiſſe: Ac demum aliquam partem ſuorum bonorum ordini noſtro obtulerit; Quòd ſi quis præter hanc formam admiſſus vel receptus fuerit, vel poſt receptionem ſignum donatorum veſtibus inſutum palam & publicè non detulerit in numero donatorum nõ habeatur, nec priuilegijs confratrũ gaudeat, aut quoquomodo fruatur; excepta congregatione donatorum & cõfratrum commendæ de modica inter quos ex antiquiſſima conſuetudine aliud obſeruatur. Tenebuntur tamen qualitates præfatas coram commendatario probare, non obſtantibus ſtatutis & conſuetudinibus in contrarium facientibus. XXXVII.

## FORMA QVA FRATRES *noſtri habitu priuantur.*

### CONSVETVDO.

CVm Frater ordinis noſtri ob delictum à ſe commiſſum habitus priuationem incurrit, Magiſter ſeu Locumtenẽs, ad quem priuationis auctoritas ſpectat, de crimine atque delicto Concilium ordinarium certum reddat, XXXVIII.

conſulteteq. quid ſuper hoc agendum ſit. Demũ matura deliberatione præhabita, ex concilij ordinarij decreto ad delicti probationem perueniatur; Informationes quoq. & atteſtationes recipiuntur ſecundum formam ſtatutorũ & conſuetudinũ. Quibus peractis ſi contra reũ ad habitus priuationem pro caſus exigentia procedendum ſit, Magiſter ſeu Viceregens, vt dictum eſt, quærimoniam ſeu plantam ad generalem aſſembleam referat. Aſſemblea enim ad hoc conficiendũ ſono campanæ ſolito more congregatur, in qua Magiſter ſeu viceregens crimen accuſati proponit, & de tali crimine in propria forma, aut ſub colore damni cõmiſſi vltra marcham argenti, ad eius delicti atrocitatẽ velandam, & iniquũ exemplum vitandũ, quærelam faciat, præſente reo, & audiente, qui ad aſſembleã per Magiſtrũ ſcutiferum ſub tuta cuſtodia adducitur. Quærela peracta, Magiſter ſiue locumtenens illic præſidens Sgardium Baiuliuorũ contra reũ concedit, qui ipſum ſecundũ Deũ, dictamenq. rectæ rationis, ac ſtatuta, laudabileſq. conſuetudines Religionis, viſa informatione, probatione, & cõfeſſione delicti iudicẽt. Moxq. Magiſter vel eius locumtenens caput Sgardij aſſignat, & quempiam probum religioſum ſuũ procuratorem deputat, qui coram Sgardio comparens agat pro caſus exigentia. Quo peracto, caput & Baiuliui Sgardij ad partẽ ſecedunt: coram quibus Magiſtri procurator ex vna, & reus ex altera parte comparent; petitq. Magiſtri procurator, ſecundum delicti grauitatem reum habitus priuatione damnari. Reo vero po teſtas reſpondendi, & defendendi cõceditur: qui vel delictum fatetur, aut negat. Si fatetur, & miſericordiam ſuppliciter petierit; Sgardium ad Magiſtrũ & aſſembleã accedit, veniãq. pro reo trina vice implorat; Si Magiſter in vim ſtatutorũ, & non aliter, indulget, ad vlteriora non proceditur; Si vero perſeueranter iuſtitiam fieri petit, tunc Sgardium ad locum ſeparatũ ſecedit. Si vero reus crimen negauerit, tunc atteſtationes, probationes, & informationes producantur. Itaq. reo propria confeſſione, & atteſtationibus legitimis, & teſtimonijs cõuicto: Sgardium ſenten tiam profert, & ad habitus priuationem reum condemnat. Qua ſententia lata, ac cerſito Magiſtri procuratore, quod decretum eſt ei panditur. Ipſe vero procurator reũ hortatur vt Sgardium ſequatur, quod corã Magiſtro & aſſemblea cõparet. Reus quoque adeſt gemebunda voce miſericordiam implorans. Itaq. Sgardiũ veniam delinquenti crimine conuicto concedi humiliter petit. Si vero Magiſter vel locũtenens perſeueranter ſententiam promulgari iuſſerit, poſt trinam iuſſionẽ Caput & Baiuliui Sgardij, reoq. præſente, ſententiam priuationis habitus pronunciant, & crimine conuictum condemnant. Promulgata ſententia, reus gemebundus genibus flexis miſericordiam perſeueranter implorat ante Magiſtrum ſeu Locumtenentem conſtitutus; cuius lateri Magiſter ſcutifer iuſſiones Magiſtri ſeu Locumtenentis præſtolans adheret. Magiſter vero ſeu Locumtenens reum damnatũ his verbis alloquitur, & priuationem profert. Quia indignum ſigno viuificæ crucis & habitu ordinis noſtri tuis exigentibus demeritis & ſceleribus te reddidiſti: ad cuius profeſſionẽ prius, tuis bonis moribus inducti admiſimus; Idcirco ſtatutis & vſibus ordinis noſtri inhærentes, in bonorum laudem, & peruerſorũ terrorem, atque vt cæteris cedat in exemplum, te habitu ordinis noſtri priuamus, & abdicamus, atque de nobili cætu & conſortio fratrum noſtrorum remouemus, reijcimus, & ſeparamus, & tamquam putridum, fœtidumq. membrum & ſepoſitum abijcimus. His dictis, Magiſter ſcutifer iuſſu Magiſtri aut eius Locũtenẽtis reo habitũ leuat, hoc modo. Ad primam iuſſionem manũ tantum ad pallium rei vel accuſati admouet; Ad ſecundam vero iuſſionem nodum ſoluit roſtrorum, quæ reſoluta in anteriorem partem proijcit; Ad tertiam denique iuſſionem laquei vinculum reſoluit, & habitum ab humeris leuat, dicẽs: Auctoritate ſuperioris fungens a te laqueum,

iugum quidem domini ſuaue,& habitum ordinis noſtri,quo te indignum reddidiſti,aufero,leuo,& remoueo.His peractis, Magiſtri iuſſu Magiſter ſcutifer damnatum in carcere claudit. Si verò reus abſens per contumaciam prius citatus, vel ſecundum formam ſtatutorum noſtrorum, & conſuetudinum vocatus non affuerit, aut comprehendi non poſſet, in eius abſentia, ac ſi præſens eſſet,vel ſi delictum palam, & publicè expreſsè contra formam ſtatutorum perpetratum ſit, aut notorium crimen exiſtat propter quod accuſatus habitus priuationem incurrere debeat, tunc etiam, reo perſonaliter non comparente, proceditur, conſtito tamen de delicto legitimis atteſtationibus,& modo ac forma ſuperius declarata cõtumax per ſgardium condemnatur, & per Magiſtrum, vel locumtenentem habitu priuatur:locoq. rei abſentis clamis ſiue Pallium ibidem conſtituitur, & poſt trinam iuſſionem Magiſter ſcutifer in abſentis ignominiam leuat,& aufert.

## FORMA QVA PRIVATIS *habitus reſtituitur.*

### CONSVETVDO.

SOlet ordo noſter benignitate & miſericordia vti erga eos qui peccatorum ſuorũ pęnitentia ducti reſipiſcunt, & in melius vitam ſuam inſtituunt. XXIX. Quapropter vbi quiſpiam e fratribus noſtris propter ſua flagitia habitu priuatus fuerit, & pœnitentia ductus ea corrigere ſit paratus & ſecundum ſtatutorum noſtrorum tenorem veniam mereatur, & non ſit ei deneganda habitus reſtitutio, hoc modo fieri ſolet. Iuſſu Magiſtri,aut eius viceregentis ad ſonum campanæ publica congregatio ſeu aſſemblea congregatur. Sedentibus quoque Magiſtro, & Baiuliuis, Prioribus cæteriſq. proceribus, & fratribus more ſolito: Magiſtri ſeu locumtenentis iuſſu adducitur per magiſtrum ſcutiferum ſeculari veſte, vel camiſia cum corda in collo ſecundum criminis attrocitatem indutus is, qui prius habitu priuatus fuit, iunctis manibus ardentem cæreum tenens, in ſignum de proximò veræ charitatis, & dilectionis ordinis recuperandæ: ſicq. humilis ad magiſtri pedes procumbit, ſuppliciter veniam ſibi concedi, habitum reſtitui, ac conſortio fratrum aſcribi, morum ac vitæ emendationem, & honeſtatem præſeferens, poſtulat, requirit, ſupplicat. Magiſter autem,his auditis,hæc profert. Licet olim te demeritis tuis exigentibus habitu priuatum meritò conſtat: tamen cum morum, & vitæ laudabilis ſpes habeatur tibi veniam elargimur habitumq. ordinis noſtri reſtituimus atque cętui & fratrum noſtrorum conſortio denuo aſcribimus.Da igitur operam vt ſic virtuosè rite, & probè viuas,nè, quod Deus auertat, occaſionem,iuſtitiæ ſeueritatem, rigoremq. in te exequendi præbeas. Recipis enim ingentem gratiam,& paucis admodum conceſſam: quæ animi, & corporis ſaluti conducat. Quo dicto, iuſſu Magiſtri Magiſter ſcutifer pallio ſumpto eum ſuper humeros eius imponit,ac vinculum reuincit dicens. Accipe iterum iugum domini leue, atque ſuaue quod tibi animæ ſalutem afferat.Hoc peracto Deum laudans gratias agit,& obſequijs ordinis ſe dedicat.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

COntra hanc formam reſtitutus pro reſtituto non habeatur. Hoc addito quod per reſtitutionem habitus non cenſetur reſtituta antianitas nec reſidentia. XL.


IN DEVM PIE TAS DOCEAT
MANVS AD PRÆLIVM

# DE ECCLESIA

## TITVLVS TERTIVS.

### *DE DIVINIS REBVS COLENDIS.*

#### CONSVETVDO.

PRIMVM, & præcipuum Religioſi hominis officium eſt, toto animo, ac mente Deum colere, rebus diuinis, ac ſacris intendere. Ideo fratribus noſtris præcipimus, & mandamus vt in primis res diuinas, ac ſacras colant, & venerentur, vt diuino auxilio adiuti fortius, & fælicius arma in Chriſti hoſtes ferant, & exerceant. I.

### *DE ORATIONIBVS PER FRATRES quotidie dicendis.*

#### CONSVETVDO.

REligionis noſtræ inſtitutores prudentiſſima ratione ſuaſi iniunxerunt, vt fratres noſtri milites, & ſeruientes (qui orationi vacare tenentur, qua in Deum mens, eleuatur) breuem orandi modum haberent: vt facilè orationi, hoſpitalitati, & fidei tuitioni operam adhibere poſſent. Itaque maiores noſtri hanc orandi conſuetudinem inſtituerunt, videlicet, quod omnes fratres ordinem noſtrum profeſſi milites, & ſeruientes ſingulis diebus ſimul, aut horis diuerſis orationem dominicam à Domino Ieſu Chriſto in lege euangelica inſtitutam, quæ vulgò Pater noſter vocatur, centies quinquagies dicant. Qui numerus orationis Dominicæ datus cẽſetur in compenſationem horarum eccleſiaſticarum, videlicet. Pro matutinis diurnis tredecim. Pro matutinis horarum noſtrę Dominę xiij. Pro prima hora xiij. Pro tertia xiiij. Pro meridie xiiij. Pro nona xiiij. Pro veſperis xviij. Pro cõpletorio xiiij. Pro quindecim Pſalmis matutinorum xv. Pro vigilijs mortuorum xiiij. Pro veſperis mortuorum viij. Hinc etiam laudabili conſuetudine Apoſtolicoq. priuilegio inoleuit, quod ſi alicui placuerit, & ocium dabitur, De Beata Virgine, vel de mortuis horas dicere, quod horum alterum dicendo ad eum numerum orationis Dominicæ non eſt obligatus. fratres vero ſacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, & Clerici ordinis noſtri ſecundum ſacratiſſimi Sepulchri Hieroſolymitani conſuetudinem officium canonicum pro gradu ſui ordinis ſuſcepti celebrare tenentur. Eam quoque inſtitutionem à maioribus traditam inuiolabiliter ſeruari iubemus. II.

## HI SVNT DIES, IN QVIBVS *fratres noſtri ieiunare tenentur.*

### CONSVETVDO.

III. PRimum per totam Quadrageſimam à quarta feria quinquageſimæ vſque ad diẽ Paſchæ. Præterea in magna letania quæ fit in feſto Sancti Marci Euangeliſtæ, eo ipſo die; qui ſi inciderit infra octauam Paſchæ ieiunium transfertur poſt octauam. Inſuper in diebus rogationum quæ fiunt ante Aſcenſionem Domini: Videlicet in ſecunda, tertia, & quarta ferijs. Item in vigilia Pentecoſtes, & in hebdomada ſequenti, in diebus quatuor temporum, & in alijs etiam diebus quatuor temporum. Necnon in vigilijs Sanctorum Ioannis Baptiſtæ. Petri, & Pauli, & omnium Apoſtolorum. Laurentij martyris, Aſſumptionis, Conceptionis, Natiuitatis, Annunciationis, & Purificationis Beatæ Mariæ, omnium Sanctorum, & in vigilia Natiuitatis Domini.

### CONSVETVDO.

IIII. FRatres ordinis noſtri, tam milites quam ſeruientes tenentur ter in anno Euchariſtiæ Sacramentum recipere, videlicet Diebus Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Natiuitatis Domini.

### F. IOANNES LEVESQ. DE LA CASSIERE.

V. ATque in feſto Sancti Ioannis Baptiſtę patroni noſtri; Declarantes ad idem teneri clericos ad presbyteratus ordinem non promotos, necnon confratres ſeu donatos.

## DE DISPROPRIAMENTO, ET CON- *feßione facienda per fratres qui nauigia conſcendunt.*

### F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

VI. PRæcipimus omnibus ordinis noſtri fratribus qui triremes, aut nauigia cõſcendunt, vt deuotam confeſſionem complere debeant, atque deſpropriamentum conficere teneantur. Quod clauſum, & ſigillatum in manibus Prioris eccleſię ſeu eius vicegerentis deponatur. Qui hæc non compleuerit, pœna quarantenæ plectetur, & ſi frater conuentualis fuerit ſtipendium vnius anni perdat: ſi Commendatarius fructus vnius anni commendæ amictat; qui communi ærario applicentur.

## CVI CONFITERI DEBEANT *fratres ordinis noſtri.*

### F. HVGO REVEL.

VII. PRohibemus nè fratres ordinis noſtri cuipiam ſacerdoti peccata ſua confiteantur niſi eorum priori, aut alicui capellano ordinis noſtri, ſi eius copiam habuerint. Si verò alteri confiteri voluerint à Priore ſeu vicepriore in Prioris abſentia id faciendi licentiam petant.

## DE MODERATIONE FRATRVM IN *celebratione diuinorum officiorum.*

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

PRohibemus, ne fratres noſtri cum diuina celebrantur, cancellum ſeu chorum intrent, nec Altari adhereāt: ne ſacerdotibus ſacrum officium celebrantibus impedimento ſint. Qui contrafecerit, quarantena puniatur. VIII.

## QVOD FRATRES SEDEANT ET *procedant ſecundum ordinem antianitatis.*

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

AD hoc adiungimus, vt omnes fratres noſtri in eccleſia & proceſſionibus ſecundum ordinem antianitatis ſedeant, & procedant. Quodq. nullus in ſedibus ſeu ſcamnis Priorum, ſeu Baiuliuorum, & locatenentium Baiuliuorum conuentualium in diuinis officijs locum capiat; Alioquin eadem pœna quarantenæ puniatur. IX.

## DE PROCESSIONIBVS FACIENDIS.

CONSVETVDO.

SVpplicationes ſeu proceſſiones ſolemnes, quæ fieri ſolent in eccleſia Hoſpitalis ſunt hæ, videlicet, in feſtis Purificationis, & Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ, Aſcenſionis Domini, Corporis Chriſti, ſancti Ioannis Baptiſtæ, & ad Infirmariam quolibet die Dominico. Præterea ſingulis diebus veneris pro pace, & ſedando terremotu. In alijs feſtis fieri non ſolent: niſi inciderint in diem dominicum. X.

## QVOD APOSTOLORVM FESTA *duplici officio ſolemniter celebrentur.*

F. IOANNES DE VALLETTA.

APoſtolorum omnia feſta, qui omnes nationes Religione ſancta imbuerūt, & ſuper omnem terram Principes conſtituti ſunt, tam hic in eccleſia noſtri Conuentus, quam in alijs omnibus noſtri ordinis per orbem conſtitutis, annis ſingulis ſub officio duplici ſolemniter celebrari iubemus. XI.

SOLEM-

EX QVA SALVS ORTA MVNDO
EIVS ORTV SALVS NOSTRA.



# SOLEMNITAS QVAE FIERI DEBET IN FESTO NATIVITATIS B. MARIAE VIRGINIS OB VICTORIAM CONTRA TVRCHAS EO DIE OBTENTAM.

## F. IOANNES DE VALLETTA.

DIEM feſtum natali Deiparæ glorioſæq. virginis dicatum, ſumma veneratione, peculiariq. cultu proſequi, atque venerari debemus, cum ob varia & ſingularia beneficia ab eadem Virgine nobis, ordiniq. noſtro perpetuo præſtita, tum ob felicem, & diuinitus nobis contra Barbaros eo die traditam victoriam. Nam cum Turcarum tyrannus Chriſtiani nominis, & præſertim ordinis noſtri acerrimus hoſtis, claſſem inſtructiſſimam & numeroſiſſimam, Anno Domini M. D. L X V. aduerſus nos miſiſſet, inſulamq. hanc noſtram Melitæ graui obſidione, ac prope incredibilibus, tam mari quàm terra oppugnationibus preſſiſſet, in eisq. tam pertinaciter & obſtinate, labore non intermiſſo, quatuor ferme menſes perſeueraſſet, vt Arce noſtra S. Elmi, quæ in faucibus portus ſita eſt, expugnata, alijs arcibus, caſtellis, & propugnaculis euerſis, muris ſolo ęquatis, ac in planũ effuſis, vicis & villis accenſis, Templis dirutis, Inſulaq. tota vaſtata, in magno diſcrimine & periculo verſaremur: Nihilominus tamen Dei omnipotentis ope, noſtrorumq. virtute ac conſtantia, inimicorum impetus & impreſſiones, ita fortiter & conſtanter ſuſtinuimus, atque repulimus, vt ad extremum hoſtes præter grauiſſimas quas acceperunt in hoc bello à noſtris iacturas, aduentu & auxilio Claſſis Philippi Regis Hiſpaniarum vere Catholici ac Pij, Duce, & illius Præfecto Garſia à Toleto Siciliæ prorege perterriti, re infecta maioriq. exercitus parte deſiderata, turpiter diſcedere coacti fuerunt. Quamobrem cum tantam victoriam Deo in primis Optimo Maximo, eiusq. genitrici Virgini Mariæ, & Diuo Ioanni Baptiſtæ tutelari noſtro acceptam referamus, in memoriam & recordationem tam ſingularis beneficij, hac lege perpetua, quam ad vnguem obſeruari volumus, & mandamus; Sancimus, & ſtatuimus, vt ſingulis annis, per vniuerſas ordinis noſtri eccleſias, Feſtum Natiuitatis eiuſdem Virginis, cum ſupplicationibus ſeu proceſſionibus, alijsq. ſolemnitatibus, & cæremonijs eccleſiaſticis, ſumma cum veneratione & cultu celebretur ſermo ſeu concio in laudem ipſius Virginis, cuius precibus tam glorioſam victoriam adepti fuimus, ſeriemque & progreſſum eiuſdem continens ad populum habeatur, ac in peruigilio, hoc eſt pridie eiuſdem feſti, officium miſſæ quam de Requiem appellamus, tam pro fratribus noſtris, quàm alijs omnibus qui in hoc ſæuiſſimo bello pro fide, & pro Religione glorioſe occubuerunt, cum precationibus & obſecrationibus conſuetis decantetur; ſexque virgines hic in conuentu noſtro ex his quæ in domo Hoſpitalis ſumptu publico ordinis noſtri, ali & nutriri ſolent, & eis non exiſtentibus aliæ virgines pauperculæ ad electionem Magiſtri, pudicæ & honeſtæ, dote quinquaginta ſcutorum in ſingulas conſtituta, tam in veſtibus, quàm in pecunia ma- XII.

trimonio

trimonio honeſte collocentur. Mandantes & expreſſe præcipientes in vim obedientiæ: Prioribus, Caſtellano empoſtæ, ac Baiuliuis, & Commendatarijs, omnibusq. alijs ordinis noſtri fratribus, vt hanc præſentem ſanctionem, & ſtatutum quiſque ſuis ſumptibus, & expenſis, prout ad eum pertinet, in eccleſijs eorum obſeruent, & obſeruari ac cuſtodiri mandent & procurent.

## QVOD FIANT PRECES PRO PACE.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

XIII. STatuimus per vniuerſas eccleſias, & oratoria Religionis noſtræ pro pace preces fieri in quibus hanc obſeruantiam teneri volumus: quòd presbyter qui miſſam ſolemnem celebrabit poſt orationem Dominicam, flexis genibus ante altare preces Deo intonet. Quæ incipiunt: Lætatus, &c. pro pace & tranquillitate eccleſiæ catholicæ, populi Chriſtiani, & ordinis Hieroſolymitani, quorum fauoribus, auxilijs, & emolumentis ſuſtentamur, atque à tyrannidis iugo defendimur.

## QVOD PRO MAGISTRO ET *ordine fiant preces.*

F. PETRVS DAVBVSSON.

XIIII. STatuimus, vt in ſingulis ordinis noſtri, eccleſijs, & oratorijs in vniuerſo orbe conſtitutis ſacerdotes diuina officia celebrantes, inter orationes quas Deo offerunt, debeant ſpecialem memoriam habere, deuotaque mente, & verbo orare pro Magiſtro, & fratribus ordinis noſtri, vt Deo auctore, diuino adiuti pręſidio, de fidei Catholicæ hoſtibus ad laudem omnipotentis Dei, pro cuius fide, & nomine pugnant, reportent, atque conſequantur victoriam. Magiſtrumq. & ordinem conſeruare diuina dignetur maieſtas.

## DE ORATIONIBVS DICENDIS *pro quolibet fratre defuncto.*

CONSVETVDO.

XV. PRO quolibet fratre defuncto triginta miſſæ celebrentur, in prima fratres qui aderunt, cæreum accenſum, & denarium vnum offerant, qui denarij pauperibus erogentur. Vnuſquiſque vero Capellanus Miſſam celebret. Diaconi autem, & Subdiaconi pſalterium legant. Milites, & Seruientes centies quinquagies orationem Dominicam recitent, vel officium mortuorum pro defuncti fratris anima: vltra ordinarias orationes quas ſingulis diebus dicere obligantur.

## DE MISSA PRO DEFVNCTIS celebranda.

F. HVGO REVEL.

STatuimus, quòd quotannis in feria ſecunda quinquageſimæ, per omnes ordinis noſtri eccleſias, in quibus ſacerdotes ſunt deputati, celebretur Miſſa ſolemnis pro Magiſtris & fratribus defunctis. Pridie vero huius dici, hoc eſt Dominica ad veſperam cantentur vigiliæ mortuorum. XVI.

F. GVILLELMVS DE VILLARETO.

IN eo officio omnes fratres adeſſe volumus & iubemus. In miſſa vero ſinguli eorum cereum & denarium vnum offerant. Magiſter autem fratribus qui aderunt, gigliatum vnum dare tenetur. XVII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

FRater vero qui ad dictum officium venire neglexerit, ſeptenæ pœna puniatur. XVIII.

## DE ORDINE SERVANDO in celebratione Miſſarum.

F. IACOBVS DE MILLY.

IN celebratione Miſſarum hunc ordinem ſeruari volumus, vt niſi completa & finita vna, alia non inchoetur. XIX.

CONSVETVDO.

IN ſingulis diebus Dominicis Aduentus, & alijs diebus feſtiuis per annum, & per totam Quadrageſimam fiat ſermo, vel concio in eccleſia noſtri conuentus. XX.

F. PETRVS DE CORNILIANO.

STatuimus, quod qualibet ſexta feria legantur nouem lectiones de ſancta Cruce in eccleſia noſtri ordinis, exceptis Aduentu domini, ſeptuageſima vſque ad Pentecoſtem, & in celebritatibus nouem lectionum, octauis feſtorum, & vigilijs quatuor temporum. XXI.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

PRohibemus, quod nullus frater ordinis noſtri libros eccleſiaſticos eccleſiarum noſtrarum ſine mandato Prioris eccleſiæ emendare, corrigere, aut quidpiam addere ſeu ſubtrahere præſumat. Alioquin pœnam quarantenæ ſubeat. XXII.

F. PETRVS DAVBVSSON.

XXIII. STatuimus, vt fratres ſacerdotes pro Iure trentenarij illas veſtes fratrum defunctorum habeant, quas habere ſoliti ſunt.

F. IACOBVS DE MILLY.

XXIIII. DEputetur aliquis doctus vir, qui adoleſcentibus clericis quotidie legat, & eos Latinas literas doceat; & alius qui eos in cantu inſtruat. Quibus congruum ſalarium & ſtipendium ab ærario aſſignetur.

## *DE PROMOTIONE CLERICORVM ad ſacros ordines.*

F. HVGO REVEL.

XXV. PRohibemus, ne aliquis frater cuiuſcunque conditionis fuerit, quempiam clericum ordinem noſtrum profeſſum ad ſacros ordines promoueri procuret, niſi præſentatum prius priori eccleſiæ, & obtenta ab eo licentia; Quodque clerici in hoſpitali promoueri non poſſint ad Subdiaconatum, donec XVIII. ad Diaconatum donec XXII. ad Sacerdotium XXV. annum attigerint. Clericus quoque qui ordinem noſtrum profeſſus non eſt, in obſequium Hoſpitalis non admittatur, niſi prius de ſacrorum ordinum receptione literas teſtimoniales, & authenticas demonſtrauerit.

## *DE ORNANDIS ET reparandis Eccleſiis.*

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

XXVI. SAncimus & decernimus, quod Baiuliui, Priores, Caſtellanus empoſtæ, Baiuliui Capitulares, Commendatarij, & fratres qui regimen Commendarum, aut bonorum ordinis noſtri tenent, eccleſias & oratoria reſtaurent, reparent, & manuteneant in debito & honeſto ſtatu; eaq. muniant & ornent libris eccleſiaſticis, veſtimẽtis, calicibus, & vtenſilibus diuino vſui aptis, pro qualitate & conditione prouentuum dictarum commendarum & domorum; ad ipſarum quoque eccleſiarum & oratoriorum cultum & obſequium fratres Capellanos honeſtę vitæ, & ſi fratres Capellanos ordinis non reperirent tunc Capellanos honeſtos, tam ſæculares quam regulares, quos habere potuerint, quouſque copia fratrum Capellanorum adfuerit, deputent & eligant, qui deuote diuino officio vacent, & intendant. Super quo exequendo Priores & Caſtellanus empoſtæ tempus competens Commendatarijs, & fratribus aſſignent. Quod ſi facere recuſauerint, contra facientes fructibus commendarum & domorum priuati exiſtant, donec prædicta diligenter compleantur. Super tamen huiuſmodi redditibus arcto victu, & veſtitu ipſis reſeruato. Quod ſi Priores, & Caſtellanus empoſtæ ſuper his diligenter prouidere nõ curauerint, tunc ipſorum proprijs expenſis ea exequi debeant; quia ex officio ipſis incumbit, ſuper his diligenter vigilare.

DE

## DE PENSIONE SEV SVBSIDIO *Curatis, Rectoribus, alijsq. Beneficiarijs præſtando.*

### F. IOANNES DE VALLETA.

QVoniam pleriq. Eccleſię noſtri ordinis curam animarum habentes, aliæq. eccleſiæ & oratoria, in quibus diuinum officium celebrandum eſt, adeo exigui & tenui redditus ſunt, vt ſuſtinendis decenter pro locorum & perſonarum qualitatibus eorum Parochis, Curatis, ſeu Rectoribus, & Vicarijs perpetuis ac Beneficiarijs minime ſufficiant, licitum erit Prioribus, Caſtellano empoſtæ, vna cum Capitulo prouinciali, quibus plenam damus in ijs rebus, ſub pœnis ſibi beneuiſis, ordinandi & exequendi poteſtatem, vt diligenter perpenſa & examinata etiam ex officio vel alicuius ſimplicis, & vicini beneficij eccleſiaſtici vnionem, vel alicuius honeſtæ penſionis ſiue portionis aſſignationem aut qua commodiori eis videbitur iuridica ratione tantum ipſis Curatis, Parochis, ſeu Rectoribus, & Vicarijs, ſiue Beneficiarijs conſtituere, vnde digne & honeſte ſuſtentari & onera earundem eccleſiarum & oratoriorum ipſis incumbentia ſupportare & ſuſtinere valeant. XXVII.

## DE PROBIS HOMINIBVS *Eccleſiæ.*

### F. IACOBVS DE MILLY.

STatuimus, quod per Magiſtrum & Concilium ordinarium duo religioſi probatæ vitę, & experti probi homines eligantur, & ex omnibus linguis, diuerſis tamen, deputentur: qui in comitiua Prioris eccleſiæ vel alicuius Capellani idonei, & probatæ ſufficientiæ, quem ad hoc eius loco Prior deputabit ſumma cum diligentia, cura & ſollicitudine videant, perquirant, ſcrutenturque ſi in eccleſia ſancti Ioannis, ac capellis & oratorijs fiunt & complentur ea quæ ad cultum diuinum ſpectant, ſecundum maiorum inſtituta, tam ſpiritualia quam corporalia ipſius eccleſiæ & capellarum concernentia. Defectus quoque corrigant & reparent. Inuentarium etiam & regiſtrum inſtitutionum & fundationum capellarum, pariter prædiorum, poſſeſſionumq. earundem ac omnium ornamentorum, bonorum quoque mobilium & immobilium faciant & habeant; Quodquidem inuentarium finito officij termino, Magiſtro & Concilio ordinario præſentabunt; vt ſucceſſoribus probis viris conſignetur. De his quoque quę in officij exercitio compererint, quatuor Temporum aſſembleis fieri ſolitis in anno, & de omnibus defectibus Magiſtro & Concilio ordinario relationem facient, à quibus pro rerum exigentia prouideatur: termino vnius anni dicti fratres dictum officium exercebunt, vel plus ſi Magiſtro & Concilio expediens videbitur, & vt dicti probi homines liberius officio vacare poſſint, ad manus Magiſtri retenti cenſeantur, & excubijs exempti ſint. XXVIII

## QVOD OMNIA BONA DIVINO CVLTVI *deputata in ſpolijs fratrum reperta ad eccleſiam conuentus perueniant.*

### F. IOANNES FERDINANDVS D'HEREDIA.

XXIX. STatuimus, vt omnia bona ad diuinum cultum deputata, vt calices, vaſa argentea, aurea, ſeu deaurata, panni aurei, argentei, & ſericei, & alia quæcumque huiuſmodi in ſpolijs fratrum noſtrorum reperta tam citra, quàm vltra mare decedentium perueniant ad eccleſiam noſtri conuentus, niſi priuatis eccleſijs commendarum à Prioribus, Baiuliuis, vel Commendatarijs, conſtante eorum vita, adſcripta & dedicata eſſent, quo caſu in dictis eccleſijs remanere volumus, ac inuentarijs notari.

## DE MVNERIBVS PER PRIORES *electos eccleſiæ offerendis.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXX. STatuimus, quòd Priores, & Caſtellanus empoſtæ poſtquam electi & promoti fuerint, & fructus vnius anni Prioratus, & Caſtellaniæ empoſtæ perceperint, teneantur dare & offerre eccleſiæ conuentus noſtri aliquod munus, quod non ſit minoris æſtimationis quam quinquaginta ſcutorum auri, quo tempore elapſo, ſi intra alios ſex menſes illud in conuentum non miſerint, & probis hominibus eccleſiæ tradiderint, cenſeantur debitores, ac ſi eam ſummam deberent communi noſtro ærario.

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

XXXI. ADijcientes, vt Baiuliui capitulares, poſtquam electi vel promoti fuerint, & fructus vnius anni ex ſuis Baiuliuatibus prouenientes perceperint, teneantur ſub eadem pœna qua Priores, dare & offerre eccleſiæ conuentus noſtri aliquod munus, quod non ſit minoris æſtimationis quàm viginti quinque ſcutornm auri.

### IDEM MAGISTER.

XXXII. STatuimus, vt Magiſtri, elapſo quinquennio à die eorum electionis & promotionis ad Magiſterium, nullis gratijs & præeminentijs Magiſtralibus in conferendis commendis de gratia vti poſſint, niſi ornamenta eccleſiaſtica, quæ ad pontificiam diuinorum officiorum celebrationem ſufficiant, ſuis ſumptibus eccleſiæ præſentauerint.

## DIES QVIBVS FRATRES *mantellum portare tenentur.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

SEquuntur dies, quibus fratres noſtri chlamydem ſiue mantellum portare tenentur. In vigilia Natiuitatis Domini ad veſperas; eodem die Natiuitatis ad miſſam, & veſperas. Poſtero die Sancti Stephani ad miſſam, & veſperas. Sancti Ioannis ſequente ad miſſam. Circuncisionis Domini ad miſſam. Epiphaniæ ad miſſam. Purificationis Beatæ Mariæ ad miſſam. Dominica in ramis palmarum ad miſſam. Diebus Iouis, Veneris, & Sabbati Sanctæ Hebdomadę ad omnia officia. Die ſancto Paſche, & die poſtero ad miſſam, & veſperas. Aſcenſionis Domini ad miſſam. In vigilia Pentecoſtes ad veſperas, & in ipſo die & poſtero admiſſam & veſperas. In die Sanctæ Trinitatis ad miſſam. In vigilia corporis Chriſti ad veſperas, & in die ad miſſam, & veſperas. In vigilia Sancti Ioannis Baptiſtæ ad veſperas, & in die ad miſſam, & veſperas. In feſtis Inuentionis, & exaltationis Sanctæ Crucis ad miſſam. In die aſſumptionis Beatæ Mariæ ad miſſam & veſperas. In die decollationis Sancti Ioannis Baptiſtæ ad miſſam. In die Natiuitatis Beatæ Mariæ ad miſſam. In feſto omnium Sanctorum ad miſſam, & veſperas. In commemorationem mortuorum ad miſſam. Et quandocunque fratres ad ſacram Euchariſtiam accedunt. Item Capitulares in capitulis generalibus. Baiuliui conuentuales, aut eorum locatenentes. Priores, & Baiuliui capitulares in ſgardijs, & aſſembleis. Sexdecim electores in electione Magiſtri. Qui contrafecerit pœnam quarantenę ſubeat. XXX. III.


IN HOC
VINCES
INFIRMIS SVBIECTAE MANVS
SVPERBOS SVBIICIENT POTENTES.

# DE HOSPITALITATE

## TITVLVS QVARTVS.

### QVOD FRATRES HOſpitalitatem exerceant.

CONSVETVDO.

INTER cætera pietatis atque humanitatis officia, communi totius populi Chriſtiani cõſenſu, Hoſpitalitas præcipuum locum obtinet, vtpotè quæ alia omnia complectatur. Ea ſi à bonis omnibus magno ſtudio colenda eſt, quanto maiori ab ijs qui Hoſpitalariorum Militum appellatione & cognomento ſe notos eſſe volunt? Quapropter nihil potius nobis faciendum eſt, quàm quod in nomine proferimus, re & actis præſtemus. I.

### DE PROBIS HOMINIBVS Infirmariæ.

F. IOANNES DE LASTICO.

VT Infirmariæ noſtræ ſtatus rectius & diligentius adminiſtretur, ſtatuimus, II. vt per Magiſtrum & Concilium quotannis eligantur duo probi homines ex diuerſis linguis, qui quolibet die, ſumma cura & ſtudio; vnà cum Infirmario ægrotos viſitent. Et ſi quid ad eorum curam deeſſe compererint, exacte reparent. Quibus ſingulis quoque menſibus, Infirmarius rationem impenſarũ, quæ in ipſa infirmaria fiunt, in ſcriptis reddere teneatur. Quod ſi facere omiſerint, is per quem ſteterit quominus id fiat, eo ipſo priuatus officio intelligatur.

### QVALITER PROBI HOMINES, ET ſcriba Infirmariæ, & Commendatarius paruæ commendæ ſe gerere debent.

F. FABRITIVS DE CARRETO.

AD euitanda ſiniſtra, quæ facile committi poſſunt, ſtatuimus, quod probi III. homines infirmariæ poſtquam à Magiſtro & concilio ordinario fuerint electi, in eodem concilio ſolemne ſacramentum faciant de bene & fide-

liter

liter officium exercendo, ad refocillationem dominorum infirmorum, & quod diſtinctè notabūt omnes expenſas, quę quolibet die fient, tā in apotheca quā in infirmaria, de quibus ęrarium noſtrum ſatisfactionem facere tenetur. Et ſimile ſacramentum faciet Scriba infirmariæ, poſtquam ſecundum antiquas conſuetudines fuerit ab Hoſpitalario præſentatus Magiſtro, & concilio, & ab eiſdem acceptatus; & pariformiter Commendatarius paruæ commendæ. Qui in vim dicti ſacramenti nihil diſtribuet ſine ordinatione medicorum, & ſcitu proborum hominum. Qui etiam de his notam facient. Si autem præter hunc ordinem aliquæ expenſæ fiant, non admittantur.

## F. IOANNES DE LASTICO.

IIII. Idem probi homines infirmariæ, diebus ſingulis, expenſas quæ ibi fiunt, ad veſperam examinabunt, & in eis nomina ſua ſubſcribant. Aliter dictæ expenſæ per procuratores noſtri communis ærarij non admittantur.

## *QVOD FIAT INVENTARIVM vtenſilium infirmariæ.*

## IDEM MAGISTER.

V. SAncimus, vt probi homines, ac Hoſpitalarius diligenter, & cum vigilantia, anno quolibet legata, dona, ac vtenſilia infirmariæ perquirant; recognoſcant, ac videant. De omnibus quoq. vtenſilibus, & bonis infirmarię, videlicet, vaſis argēteis, aureis, ſtaneis, ęneis, quibuſuis lectis, coopertorijs, linteaminibus, papillionibus, & cæteris aptis; & deputatis: De omnibus alijs quoq. bonis rebus, & vtenſilibus, cuiuſuis generis fuerint, ſeruitio capellæ Palatij, Camerarum, Coquine, & alijs officinis adſcriptis Inuentarium authenticum in præſentia infirmarij, ac Prioris, & teſtium conficiant, ſignent, & bullent. Valorem quoque eorum, & æſtimationem annotare debeant. Ipſa quoque bona & vtenſilia aliquo charactere, ſigno vel bulla muniant, & ſigillent; atque in loco tuto, mundo & idoneo conſeruari iubeant. Præcipientes infirmario, ſub pœna priuationis ſui officij, ne quouis modo præſumat aliquid ex dictis bonis clàm, vel palàm, directè, vel indirectè extra ipſam infirmariā tranſportare, vel mutare, vel in alios vſus conuertere.

## *QVOD APOTHECA INFIRMAriæ viſitetur.*

## IDEM MAGISTER.

VI. NE per rerum medicinalium impuritatē Infirmi detrimentum corporale patiantur. Iubemus, quòd Apotheca Infirmariæ per Hoſpitalarium & probos viros, acceſſitis medicis, viſitetur quoties ipſis Hoſpitalario, & probis viris videbitur. Medici quoque in præſentia eorum diligenter, cautè, & prudenter ſcrutentur, ſi Apotheca munita ſit Aromatibus, & medicinis infirmis congruis & neceſſarijs, ne per Aromatarij culpam infirmorum cura omittatur atque parui pendatur.

## F. IACOBVS DE MILLY.

STatuimus, quod Infirmarius ac probi homines, omnia ſtatuta Hoſpitalitatem concernentia in membrana ſcribi faciant, quæ tabulæ affixa in ægrotantium palatio appendatur, vt omnibus pateat; & ſecundum eorum ſeriem infirmorum adminiſtrationi intendatur. VII.

# DE BVLLA HOSPITALARII.

## IDEM MAGISTER.

AD conſeruationem bonorum & ſupellectilium vſui ægrotorum dedicatorum, ſtatuimus, quod Hoſpitalarius, vel eius vicegerens bullam ferream teneat, qua bullentur coopertoria, paramenta, ornamenta, ac cætera ſupellectilia & bona mobilia, quæ bullari poſſunt, ne permutentur, tranſferantur, aut alienentur. Ipſa quidem bulla ponatur in ſacculo de corio, ſignato ſigillo Hoſpitalarij, vel eius Locumtenentis & proborum hominum, quam Infirmarius cuſtodiet. Bona vero & vtenſilia quæ vſui quotidiano applicata non erunt, aut neceſſaria, in aliquo loco, ſub clauibus infirmarij & proborum hominum reponantur. VIII.

# QVOD DEPVTETVR CAPELLANVS *cum Priore infirmariæ.*

## F. IOANNES DE LASTICO.

VOlumus, vt Hoſpitalarius deputet aliquem Capellanum ordinis noſtri, vitæ honeſtæ & probatæ, præſentatum prius Priori eccleſiæ, vt ab eo confirmetur. Qui in infirmaria quatuor miſſas qualibet hebdomada celebret. Prior vero tres, vt vno quoque die ægroti miſſam audiant, in qua pro ſalutæ animæ & corporis eorum preces fiant; quibus ſtipendium ſolitum aſſignetur. Iidem teneantur diligenter & accurate confeſſionem audire, ſanctum Eucharistiæ ſacramentum miniſtrare, mortuos ſepelire, & ea omnia exercere, quæ ad ſalutem animarum ægrotantium, & obſequia ſepulturæ defunctorum ſunt neceſſaria. IX.

# DE EXEMPTIONE *Prioris infirmariæ.*

## F. IACOBVS DE MILLY.

DEcet Priorem infirmariæ vigilantem in obſequijs infirmorum & aſſiduum eſſe, præſertim circa ea quæ ad animarum ſalutem ſpectant. Ideo iubemus, quod Prior infirmariæ diligenter inuigilet infirmorum ſaluti, Miſſarum celebrationi, ſacramentorum exhibitioni, & cæteris quæ ad eius officium ſpectant. Quod vt commodius fieri poſſit, ipſum à carauanarum onere liberamus, X.

atque

atque famulum vnum retinendi auctoritatem concedimus ; pro cuius manutentione apodixia frumenti, ſicut fratri militi concedatur, quam à communi æra rio accipiat.

## DE MEDICIS INFIRMARIÆ.

### F. IOANNES DE LASTICO.

XI. ACcerſantur ad curam ægrotorum medici periti & experientes, qui in præſentia octo fratrum linguarũ & Infirmarij iurare teneantur, quod ægrotantium valetudini magna diligentia, & ſecũdum probatorum medicorum regulas & ſcripta intendent. Et ſaltem bis in die ægrotantes omnes viſitare teneantur, & ea quæ ad eorum curam neceſſaria ſunt, ordinare: idque nulla mora aut impedimento obſtante, exequantur. Illi autem medicorum viſitationi aderunt Infirmarius & ſcriba, qui in ſcriptis fideliter & ſigillatim excipient id quod pro ſalute ægrotorum à medicis ordinatum fuerit. Medici ipſi ſtipendium ab ærario ſument, & nihil ab ægrotis pro opera ſua accipei e aut exigere poterũt.

## DE CHIRVRGIS.

### IDEM MAGISTER.

XII. STatuimus etiam vt ad idem miniſterium habeantur duo chirurgi, prudentes, diſcreti & artis ſuæ peritiſſimi. Qui prius à medicis infirmariæ examinati & approbati ſint, alias non admittantur.

## QVOD INFIRMARIVS *qualibet nocte ægrotos viſitet.*

### IDEM MAGISTER.

XIII. DEcet infirmarium circa ægrotorum curam uigilantem eſse, ne per incuriã ſiniſtrum aliquod ipſis contingat. Iubemus igitur, ut qualibet nocte infirmarius, fido comitatus famulo, hora completorij & auroræ, ægrotos prudenter & diſcrete uiſitet, alloquatur, hortetur, corroboret, & preſidio adſit. Probi quoque homines die ſequenti cum aderunt perſcrutentur, ſi idem infirmarius viſitationem compleuerit: in quo ſi defecerit, eum obiurgent & reprehendant, & ad faciendum compellant. Qui ſi renuerit in eius defectum prouideant. Alimenta autem corpori humano quanto puriora & meliora ſunt, tanto magis nutrimento proſunt. Idcirco infirmario mandamus, vt de bonis & præſtantioribus nutrimentis, pullis gallinaceis, pane & vino prouideat; in quo Hoſpitalarius & probi homines diligenter curam adhibeant, vt de eis ægrotis ſubueniatur.

Quod

## QUOD ÆGROTI IN INFIRMARIA *modeſte ſe gerere debeant.*

### IDEM MAGISTER.

INſolentiam & immodeſtiam nonnullorum reprimere volentes, ſtatuimus, quod ægroti fratres & ſæculares, in infirmaria modeſte, temperanter, & honeſte ſe gerant & conuerſentur: Nec liceat aut permittatur alicui quidpiam petere aut obtinere, niſi tantum illud quod & quale à medicis pro eius remedijs ordinatum fuerit. Quod ſi audacia fretus importune petierit, nihilominus ei ſubminiſtrari prohibemus. Ipſi etiam valetudinarij ibidem ſilentio & honeſto exercitio vtantur: nec aleis, ſcacchis, aut hiſtoriarum vel cronicarum lectioni intendant, ſeu quidpiam exerceant, quod in perturbationem vel moleſtiam ægrotorum vergat. Qui contra fecerit, priuetur miniſtratione neceſſariorũ in infirmaria; ab ægrotorum quoque comitiua reijciatur, ſuo arbitrio vitam ducens. Non enim medicina & medici auxilio dignus eſt qui medicinæ dogmata paruipendit. Hanc quoque regulam Infirmarius obſeruari faciet: in quo ſi negligens fuerit, officio priuetur. Si quis autem frater ex ægrotis, poſtquam à medicis licentiatus fuerit, menſa infirmarij pro termino decem dierum aut minori frui voluerit, id agendi licentiam damus: Infirmario quoque de menſa ærarium ſatisfaciet. XIIII.

### F. ALPHONSUS DE PORTUGALLIA.

FRatres infirmitatis initio toto triduo poſſunt ſtare in cameris ſuis, & eis adminiſtrari debent neceſſaria, ac ſi eſſent in infirmaria. Eo autem termino elapſo, tenentur adire infirmariam, alias denegatur neceſſariarum rerum miniſtratio Religionis impenſis. XV.

## QUOD FRATRES IN INGRESSU *infirmariæ confiteantur, & deſpropriamentum faciant.*

### F. IOANNES DE LASTICO.

STatuimus, quod omnes fratres qui ad infirmariam noſtram ægroti accedunt, vt illic curentur in ipſo infirmariæ ingreſſu, & antequam prætereant horæ XXIIII. confiteri, & Euchariſtiæ ſanctum ſacramentum ſumere teneantur. Deinde deſpropriamentum, ideſt, rerum ſuarum declarationẽ conficere: cui ſigillo Prioris infirmariæ corroboratæ plena fides adhibeatur. Si vero id facere recuſauerint, elapſo dicto horarum ſpatio, ab infirmaria eijciantur, nec eis neceſſaria miniſtrentur. Præcipientes, vt infirmarius habere teneatur ad miniſterium dictæ infirmariæ famulos bonæ famæ & diligentes, ac ſufficienti numero ad obſequium ægrotantium tantum, ac duas mulieres honeſtas pro expoſitis infantibus nutriendis: qui omnes Chriſtiani exiſtant. XVI.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XVII. OMnia deſpropriamenta fratrum noſtrorum, tam in conuentu, quam extra decedentium, in camera noſtri communis ærarij regiſtrentur.

## DE TESTAMENTO CONFICIENDO *per ſæculares ægrotos in infirmaria.*

F. IACOBVS DE MILLY.

XVIII. SAncimus, vt quotieſcunque ſæculares ægrotantes in infirmariam introducti fuerint, confiteri teneantur, Euchariſtiamq. ſuſcipiant;& demum eos infirmarius, Prior, & probi homines moneant & hortentur, vt teſtamentum conficiant. Quod quidem teſtamentum per Priorem vel ſcribam infirmariæ, præſente Priore, vel alio presbytero Prioris loco, duobus vel tribus adhibitis teſtibus conficiatur. Nec illud ſub pœnis iuris canonici reſcindatur. Ipſe quoque Prior & ſcriba dictum teſtamentum, auctoritatem, & facultatem conficiendi admiſſis teſtibus ad minus duobus, tamquam ſi Notarij publici eſſent, habeant. Taleq. teſtamentum in aliquo libro redigatur ad futuram memoriam, ac pro conſeruatione iuris & iuſtitiæ vniuſcuiuſque in bonis defunctorum. Si vero ſæculares infirmi teſtamentum condere recuſarent, vel non poſſent: tunc infirmarius & probi homines per Priorem vel ſcribam, inuentarium de bonis eorum fieri coram teſtibus iubeant, vt infirmis ad priſtinam ſalutem reductis, dentur & reſtituantur, vel vt eis defunctis, de bonis ipſorum conſtet, ad eorum quorum intereſt, iurium conſeruationem. Ipſa quoque bona inuentariata in loco tuto ſub clauibus infirmarij & proborum hominum recludantur.

F. CLAVDIVS DELA SENGLE.

XIX. SVpremam autem ſæcularium in infirmaria decedentium voluntatem, ipſi probi homines faciant fideliter exequi.

## QVOMODO FRATRES *defuncti ſepeliantur.*

F. NICOLAVS LORGVE.

XX. LAudabile cenſeri debet, vt quo habitu fratres noſtri in ingreſſu Religionis, & in vita fuerint redimiti, eodem in ſepultura & funeris pompa ornentur. Igitur ſancimus, vt omnes fratres Hoſpitalis, cum è vita deceſſerint, mantellis ad roſtra, ideſt, cum punctis & cruce alba ſepeliantur.

## QVOD CORPORA DEFVNCTORVM ſecularium honeſte ſepeliantur.

F. IOANNES DE LASTICO.

STatuimus, quod corpora perſonarum ſecularium in infirmaria noſtra decedentium decenter, & honeſte ad ſepulturam efferantur; præcedentibus capellanis pro anima defuncti precantibus; Fiant autem quatuor veſtes nigri coloris, quibus hi qui funus deferunt induantur; quas ad id opus ſeruari, & ſupradicta exequi infirmarius faciet. XXI.

## QVOD NVLLVS PVLLATVS funera fratrum comitetur.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

COrpora fratrum noſtrorum honeſtiſsime etiam ſepeliri volumus: verum prohibemus ne poſt hac vllus omnino, ſiue ſit frater, ſiue ſecularis pullatus, ideſt veſte lugubri indutus, funera ipſorum fratrum comitetur neque etiam ipſius Magiſtri: vbicunque mortem obierit. XXII.

## DE APERIENDIS capſis defunctorum.

F. IACOBVS DE MILLY.

NE per incuriam bona defunctorum deperdantur. Iubemus diſtrictius, ne cuiquam liceat capſas defunctorum in infirmaria aperire, aut bona recognoſcere, niſi præſente Hoſpitalario, infirmario, ac duobus probis hominibus. Adijcientes quod ſupellectilia vſui infirmorum apta, & congrua in eis inuenta non debeant cuipiam exercitio deputari: niſi infirmorum vſui duntaxat. XXIII.

## DE FLORENIS QVADRINGENTIS à Villaguto infirmariæ legatis.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

COngruum eſt teſtatorum deuotionem ſequi. Non liceat igitur alicui fratrum noſtrorum quacunque auctoritate fungenti de illa florenorum ſumma infirmariæ per fratrem Ioannem de Villaguto Caſtellanũ empoſtę legata, & poſtea aucta, & quæ augebitur diſponere, niſi magno conſeruatori noſtri conuentus cui hanc facultatem concedimus de eiſdem pecunijs diſponendi ad vſum infirmorum ſecundum dicti teſtatoris voluntatem, & ordinationem. XXIIII.

## DE IMMVNITATE INFIRMARIÆ.

F. FABRITIVS DE CARETTO.

XXV. SAncimus, quod ſi delinquens aliquis confugerit ad Aſylum, & immunitatem infirmariæ, & ſit dubium an illi ſit profutura, an non: tunc ad inſtantiam Caſtellani, & Iudicis: Hoſpitalarius, aut eius locumtenens iubeat delinquentem in ipſa infirmaria ſecure cuſtodiri, donec ſuper eo cognitum fuerit. Quod ſi immunitas valida iudicetur, cum primo nauigio ab hac inſula, & omni noſtra ditione emittatur, prout antiquitus fuit obſeruatum.

## QVIBVS CASIBVS INFIRMARIÆ *immunitas non prodeſt.*

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXVI. HI ſunt caſus, in quibus infirmariæ immunitas nemini proderit. Latronibus, aut nocturnis agrorum depopulatoribus, incendiarijs, ſodomitis, conſpiratoribus, furibus. His quoque qui ex inſidijs, aut de induſtria; & deliberato, vel proditione, venenouè hominem occiderint: nec fratrum domeſticis, nec percuſſoribus ipſorum fratrum, vel iudicum noſtrorum, & aliorum iuſtitiæ miniſtrorū, nec ijs qui ære alieno obſtricti ſunt. Nec ijs qui in ipſa infirmaria, aut ſpe immunitatis eiuſdem delictum comiſerint, neç falſis teſtibus, aut notarijs, ſacrilegis, graſſatoribus.

IDEM MAGISTER.

XXVII. STatuimus, quod eleemoſynæ in commendis noſtris dari ſolitæ continuentur.

## ERGA AMICOS ET CONTRA INIMICOS DEI.



# DE COMMVNI AERARIO
## TITVLVS QVINTVS.

### *DE ONERIBVS COMMVNIS ærarij, & legibus ſuper id condendis.*

CONSVETVDO.

CVM bona & facultates quæ ordo noſter poſſidet, piorum I.
hominum liberalitate collata ſint ad ſuſtinendas hoſpitalitatis impenſas, & propulſandos Chriſtiani nominis hoſtes: Certum eſt fratres noſtros proprij in eis aut priuati iuris nihil habere: ſed eorum verum dominium ac proprietatem, & ius omne ad ſolum ipſum ordinem noſtrum ſpectare. Verum cum in communi recte adminiſtrari non poſſent propter locorum diſtantiam, & diſſidentiam nationum, maiores noſtri ea viritim fratribus per partes regenda commendarunt, (vnde nomen commendarum ſumpſerunt) impoſitis annuis penſionibus, quæ augerentur & minuerentur, prout & rei & tempori, hoc eſt neceſſitati conuenire viſum eſt. Etenim vt minimum quinta, ſæpe quarta fructuum pars penditur, & in commune ærarium inferri iubetur, nonnumquam etiam dimidia, vel omnes etiã fructus ſi ita à Capitulo generali fuerit ſtatutum, penes quod, vnum imponendarum & aſſignandarum penſionum & collationum huiuſmodi, quas reſponſiones & impoſitiones vocamus, ius eſt. Id autem quid à quoque ſit pendendum & ſoluendum decernit, & publice declarat: Decretum & declarationem ſuam Prioribus, Caſtellano empoſtæ, & Capitulis prouincialibus per literas ſuas ſignificat, mandatque vt penſiones à ſe impoſitas exigi & perſolui ab adminiſtratoribus procurent.

### *QVOD OMNES TENEANTVR AD ſolutionem iurium communis ærarij.*

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quòd omnes priores, Caſtellanus empoſtæ, Baiuliui, Com- II.
mendatarij, & fratres tam exempti, quam non exempti ratione Prioratuum, Caſtellaniæ empoſtæ, Baiuliuatuum, Commendarum, domorũ,

 & alia-

& aliarum adminiſtrationum noſtrarum quarumcunque, non obſtante quacunque clauſula gratia aut exemptione (quæ iuribus noſtri communis ærarij derogare & præiudicare non volumus) omni excluſa mora, excuſatione, appellatione, oppoſitione, & impedimento, tam ratione bellorum ſeu deuaſtationum, quàm alias realiter & cum effectu anno quolibet in Capitulo prouinciali; & ſi fortaſſe in aliquo loco Capitulum prouinciale nō celebretur, in natiuitate ſancti Ioannis Baptiſtę ſoluere iura communis ærarij pro tempore inſtituenda & imponēda, & debiti reliquum ſeu arreragia, & alia quæcunque debita noſtro communi ærario teneantur & debeant, ſeu receptoribus & procuratoribus eiuſdem pro tempore inſtituendis, in pecunia numerata.

## *QVOD IVRA COMMVNIS ÆRARII integre ſoluantur non obſtante quouis caſu vel impedimento.*

### IDEM MAGISTER.

III. QVod ſi aliqui ex dictis Prioratibus, Caſtellania empoſtæ, Baiuliuatibus, Commendis, aut adminiſtrationibus noſtris, propter bella, inuaſiones ſeu exactiones principum, ſeu aeris intemperiem, aut aliquo quouis fortuito aut inopinato caſu, ad ruinam, vaſtationem etiam totalem deſtructionem, quod Deus prohibeat, redacti ſint: nihilominus portio iurium ærarij impoſita, & pro tempore imponenda liquide, pure & ſimpliciter, tamquam immunis & libera huiuſmodi iacturis ac Principum exactionibus ad ęrarium, omni oppoſitione & mora reiecta perueniat, ac iactura, damnum & exactio ſit & eſſe intelligatur in damno Priorum, Baiuliuorum, Commendatariorum, & aliorum adminiſtratorum: etiamſi clades tanta eſſet, quod id, quod ſupereſſet ex fructibus ad portionē iurium ſoluendam non ſufficiat. Adminiſtratores enim cauere & prouidere pro futuris neceſſitatibus tenentur.

## *MVTATIO SVPPVTATIONIS annorum mortuarij & vacantis.*

### F. IOANNES DE VALLETA.

IIII. COnſuetum & hactenus obſeruatum fuit, vt per mortem Priorum, Baiuliuorum, Commendatariorum, & aliorum bonorum noſtrorum adminiſtratorum commune noſtrum ærarium vltra alia, mortuarij & vacantis iura percipiat, hac declaratione, vt appellatione mortuarij fructus intelligantur à die obitus Commendatarij, vſque ad proximum feſtum natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ; & vacantis ab eo die ad aliud idem feſtum proxime futurum; ſed quia ex hac ſupputatione variæ lites in conuentu noſtro ortæ fuerunt, id commutandum eſſe duximus, vt appellatione mortuarij deinceps, non vt antiquitus, ſed à die obitus Prioris, Baiuliui, Commendatarij, & adminiſtratoris vſque ad feſtum diuorum Philippi & Iacobi, quibus prima dies Maij dicata eſt, fructus & redditus qui colliguntur Prioratuum, Baiuliuatuum, Commendarum, & aliarum adminiſtrationum intelligendi ſunt, & pro vacante ab eodem die, vſque ad aliud feſtum ſanctorum eorundem proxime futurum anno peracto, quos noſtro

communi ærario ſolui mandamus: Nihil per hoc derogantes conſuetudini & ſtatutis noſtris, quibus cautum eſt, vt ſolutio iurium communis ærarij, & aliorum debitorum in Capitulo prouinciali, aut eo non indicto vel celebrato, in feſto Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ fiat: ſed ea in ſuo robore & vigore permanere volentes.

## DE IVRIBVS COMMVNI ÆRARIO *ſoluendis per eos qui commendam per reſignationem obtinebunt.*

F. PETRVS DAVBVSSON.

PRæterea ſtatuimus, quod ex omnibus Prioratibus, Caſtellania empoſtæ, Baiuliuatibus, Commendis; & adminiſtrationibus, quæ per ceſſionem & reſignationem ad manus alterius adminiſtratoris peruenerint, fructus & redditus duorum annorum integrorum ærarius ipſum percipiet. Quos nouus adminiſtrator ſoluere tenebitur, vel ſi vtilius videbitur, Receptor dictos fructus ipſe colligere aut alteri locare debebit, exceptis his quæ ratione melioramenti capiendi vel permutationis ſecundum formam ſtatutorum noſtrorum factæ dimittuntur. V.

## QVOD NOVI ADMINISTRATORES *commendæ reſignatæ ad ſolutionem debitorum reſignantis teneantur quibus erat obnoxius tempore reſignationis.*

IDEM MAGISTER.

INſuper tenebuntur dicti Priores, Caſtellanus empoſtæ, Baiuliui, Commendatarij, & noui adminiſtratores ſic per reſignationem conſtituti ſoluere omnia debita, quibus reſignantes tempore reſignationis obnoxij erant. Id etiam excipientes, vt qui contra ſtatuta & conſuetudines ordinis noſtri prouiſi fuerint ius ad Prioratus, Caſtellaniam empoſtæ, Baiuliuatus, commendas & nouam adminiſtrationem non acquirant. VI.

## DE ONERIBVS SOLVENDIS *per poſſeſſores membrorum.*

IDEM MAGISTER.

STatuimus, quod omnes noſtri ordinis fratres membra aut prædia Prioratuum, Caſtellaniæ empoſtæ, Baiuliuatuum, commendarum & adminiſtrationum poſſidentes, iura communis ærarij impoſita & imponenda pro rata portione, valoris dictorum membrorum vel prædiorum ſoluere teneantur. Quod ſic declaramus, videlicet, quod quando dimidia, tertia vel quarta pars fructuum impoſita fuerit ſuper bonis huiuſmodi, poſſidentes membra ſoluent ſimiliter tertiam, quartam, vel dimidiam partem fructuum pro rata portione veri valoris, præter penſionem Priori vel commendatario pro recognitione reſeruatã. VII.

F. IOAN-

F. IOANNES DE VALLETA.

VIII. ET ſi ordinis noſtri fratres qui membra Prioratuum, Baiuliuatuum, aut Commendarum habent, eam quæ ipſos contingit ratam partem pro reſponſionibus & impoſitionibus tempore præfixo & conſtituto non ſoluerint, non obſtante ſolutione facta pro eiſdem per Priores, Baiuliuos, & Commendatarios, Receptoribus noſtris, (quibus optio datur à quouis illorum eam portionem exigendi) habeantur & cenſeantur debitores communis ærarij, & incapaces ad conſequendum officia aut bona ordinis noſtri donec dictis Prioribus, Baiuliuis, & Commendatarijs integre ſatisfecerint. Qui facta prius ad hoc legitima requiſitione, auctoritatē habeant capiendi tot fructus vel de dictis membris vel à conductoribus præfatorum membrorum, ſi forte antea locata fuerint, vſque ad integram ſolutionem. Et ſi repugnantia ſiue retinentia in huiuſmodi exactione à dictis poſſeſſoribus membrorum fieri contigerit, eo ipſo abſque alia ſententia & declaratione dicta membra ſint & intelligantur incorporata, & vnita commendis à quibus dependent, inuocato, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, ad prædictam exactionem: Concedentes auctoritatem & facultatem, Prioribus, Caſtellano empoſtæ, Baiuliuis & Commendatarijs, vt poſſint quemlibet ordinis noſtri fratrem requirere ad executionem præſentis ſtatuti, ita tamen quod ſoluant fratri requiſito dictas congruas & competentes partes quas renitentes membrorum poſſeſſores ſoluere tenebuntur.

## DE MORTVARIO ET VACANTE *ſoluendo per poßidentes membra.*

F. PETRVS DAVBVSSON.

IX. STatuimus, quod decedentibus Prioribus, Caſtellano empoſtæ, Baiuliuis & Commendatarijs quandocunque & quotieſcunque id acciderit, membra dependentia à Prioratibus, Caſtellania empoſtæ, Baiuliuatibus, & Commendis, & illi qui ea poſſident, teneantur ſoluere iura mortuariorũ & vacantium quemadmodum adminiſtrationes à quibus dependent: Decernentes, quòd in literis & bullis adminiſtrationum membrorum debeant expreſſe reſeruari iura communis ærarij, mortuarij, & vacantis: Quæ etiam ſi non reſeruata eſſent intelliguntur implicite reſeruata, & ad id obligantur.

## QVALITER SOLVTIO MORTVARII *& vacantis fieri debeat per poßidentes membra tempore vacationis.*

F. IOANNES DE HOMEDES.

X. SAncimus, quod ſi frater teneat membrum commendæ cuius adminiſtratio vacet, habeat etiam aliam commendam cuius fructus percipiat eo caſu teneatur ſoluere integros fructus membri dependentis à commenda vacante, non ſecundum communem æſtimationem ordinis noſtri, ſed ſecun-

dum

dum verum valorem pro tempore mortuarii,& vacãtis, hoc eſt, quanti ipſa membra tempore mortuarij, & vacantis arrendari locariue poſſint. Si autem tenens membrum commendam non habuerit; retenta ſibi pro alimentis tertia parte fructuum membri, reliquas duas ad verum valorem communi ęrario ſoluere teneatur.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus vt idem ius in penſionibus obſeruetur. XI.

F. IOANNES DE VALLETA.

DEclarantes, vt qui non commendam ſed membra, vel penſiones duas, aut plures habuerit, fructus membri vel penſionis commendæ vacantis eo tẽpore ſimiliter integrè ad commune ærarium perueniant, niſi membra ipſa, aut penſiones ex vna eademq. commenda ſint, vel ex pluribus ab eo tempore vacantibus, nam tunc tertia pars dictorum membrorum, vel penſionum fratri debebitur. Reliquum verò commune ærarium percipiet, diuiſione & ſupputatione fructuum membrorum, ſeu penſionum huiuſmodi ſecundum ratam menſium, non autem fructuum acquiſitorum proportionabiliter facta, ratione veri valoris, ſeu precij ſemper habita eius quo huiuſmodi membra eo tempore locari ſolent. XII.

## IN VILLIS, GRANGIIS, & domibus mortuarium & vacans ſit.

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

STatuimus, & declaramus, in villis grangijs & domibus à commendis dependentibus eſſe mortuarium & vacans. XIII.

## FRVCTVS COMMENDÆ CVIVS nullus frater capax eſt erario applicentur.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

SI quod accidere nonnunquam ſolet, vacante adminiſtratione alicuius commendę, aliqua tamẽ ratione in lingua ſeu Prioratu fratres nulli ſint illius capaces, diſponimus, vt huius redditus communi noſtro ærario vendicentur ad eum vſque diem quo idoneus aliquis extiterit ad eam obtinendam, Atque cum primo mortuarij & vacantis tempore cedere ſeu currere incipiant. XIIII.

## DE IVRE PASSAGIIS ſoluendi per fratres.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

STatuimus, quod quicunque ordinem noſtrum deinceps profiteri volet: ſi in gradum militum recipi cupiat, ſoluet pro ſuo traiectu, quod paſſagiũ dicimus, noſtro cõi ęrario, aut ab eo deputatis, antequã ad profeſſionem XV.

admit-

admittatur ſcuta auri in auro ducenta vel eorum valorem: ſi in ſeruientem armorum ſcuta centum quinquaginta ſimilia in numerata pecunia, quod ſi non ſoluerit antianitate non gaudeat. Nam antianitatem numerari volumus à die quo paſſagij ſui ſolutionem integre fecerit; & qui eum ad profeſſionem admiſerit nō viſa ſolutione paſſagij de ſuo ſoluere teneatur, non obſtante quacunque licentia ad id conceſſa. Nemini tamen poſtquam paſſagium ſoluerit, ſuper antianitate lis moueri poſſit. Non proderit autem cuiquam ſi cœpta iam lite ſoluat.

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

XVI. DEclaramus, quod qui auctoritate ſummorum Pontificum ordinem noſtrū profeſſi fuerint, ad ſolutionem paſſagij ſicut cæteri fratres teneantur.

### IDEM MAGISTER.

XVII. QVicunque autem in confratrem ſeu donatum ordinis noſtri, cum delatione crucis, iuxta diſpoſitionē ſtatuti xxxvj. de recept. fratrum, recipietur, pro eius paſſagio ſummam ſcutorum quinquaginta auri, eidem ærario ſoluere teneatur, aliter pro recepto non habeatur.

## *QVOD BVLLÆ ANTIANITATVM NON ſint in præiudicium communis ærarij Magiſtri & Priorum.*

### F. PETRVS DAVBVSSON.

XVIII. STatuimus, quod antianitates ſiue expectatiuæ, quæ dantur de commendis in futurum, ſuadente aliqua iuſta ratione, non intelligantur in præiudicium noſtri communis ærarij iurium, ſpoliorum, mortuariorum, vacantium, & aliorum iurium ipſius impoſitorum & imponendorum, nec diſpoſitionum præheminentiæ Magiſtralis aut Prioralis nec camerarum Magiſtralium: quas ſaluas & illæſas ſemper eſſe decernimus.

## *QVO TEMPORE IVRA COMMVNIS ærarij ſolui debeant, & de pœna non ſoluentium.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XIX. QVia plerique ordinis noſtri fratres adminiſtrationem Prioratuum, Baiuliuatuum, Commendarum, membrorum, & aliorum bonorum habentes, & alij quicunque poſſeſſores negligenter vel potius contumaciter ſe gerunt in ſoluendis communis noſtri ærarij iuribus, ſtatuimus, vt qui reſponſiones & impoſitiones tam ordinarias quam extraordinarias, mortuaria & vacantia, arreragia, & alia quæcunque iura & debita noſtri commnnis ærarij in capitulo prouinciali, aut ſi id non celebretur in feſto ſancti Ioannis Baptiſtæ non ſoluerint, quod illico Prioratus, Caſtellania empoſtę, commendæ, membra, & adminiſtrationes ſint, & eſſe cenſeantur incorporata communi noſtro ærario, & tan-

diu

diu a noſtris receptoribus, ſeu alijs ad id deputatis retineantur, & adminiſtrentur, eorumque fructus & prouentus colligantur, & percipiantur, aut alijs per ipſos receptores locentur, donec de ipſis, & de impenſis ſuper eo factis communi ærario integre ſatisfactum fuerit. Quod ſi fratres noſtri aut alij Prioratuũ, Caſtellaniæ empoſtæ, Baiuliuatuum, commendarum, membrorum, ac bonorum aliorum poſſeſſores, aut quiuis alius eorum nomine pertinaciter dictis receptoribus, aut alijs ad id deputatis reſiſtendum, refragandumq. duxerint, quominus fructus dictorum Prioratuum, Caſtellaniæ empoſtæ, Baiuliuatuum, commendarum, membrorum, & aliorum bonorum percipiant, eoſue locent, & arrendent: Tunc eo ipſo, abſque alia monitione, citatione, proceſſu, ſententia, ſeu alia declaratione ipſis Prioratibus, Caſtellania empoſtæ, Baiuliuatibus, commendis, membris, & alijs bonis, illorumq. poſſeſſione priuati exiſtant, etiam ſi eſſent minores quatuordecim annis, & ſine curatoribus (ſi qui fuerint) de quibus non habebitur ratio, de qua quidem reſiſtentia & repugnantia verbis aut literis receptoris fides habebitur. Præcipientes Prioribus, & Caſtellano empoſtæ, vt hoc ſtatutum faciant in ſuis Prioratibus, & Caſtellania empoſtæ plenè & exacte exequi, & obſeruari. Quod ſi neglexerint, ſint & intelligantur priuati prerogatiua retentionis quintæ cameræ, & gratioſæ diſpoſitionis commendæ ad eorum præheminentiam pertinentis: itaquod prouiſiones de illa factæ irritæ ſint.

## CONTRA DEBITORES *communis ærarij.*

### F. IOANNES DE VALLETA.

CVm parum ſit leges condere niſi debita ſubſequatur executio earum pręſertim quæ recuperandis iuribus noſtri communis ærarij modum adhibent & pręſcribunt. Statuimus, vt ſupra ſcriptum ſtatutũ adamuſſim ſineq. alia exceptione obſeruetur. Adijcientes, vt qui iura & debita ipſius publici ærarij in Capitulo prouinciali, vel eo non celebrato, in feſto Natiuitatis Sancti Ioannis Baptiſtæ in manibus receptorum integre non exoluerint, niſi intra triginta dies ab vltimo die capituli peracti, aut ab eodem feſto, per ſe, vel ſuum legitimum procuratorem eius nomine ipſos Receptores ſponte, & non coacte adierint, tametſi ſuper id minime requiſiti, & interpellati à Receptoribus fuerint, Prioratuſq. Caſtellaniam empoſtæ, Baiuliuatus, ſeu commendas, aliaq. bona quæ poſſident in manibus eorumdem receptorum pro debitis ipſis, libere, legitime, & per ſcripturam authenticam tradiderint, & conſignauerint, ipſo facto, abſque alia citatione, aut monitione, quia terminus in eodem capitulo per capitulum generale aſſignatus, pro eodem ærario interpellat, authentice & legitime ad conuentum citati intelligantur, vt niſi in termino nouem menſium poſt ipſius capituli ſeu feſti celebrationem, ſeu ipſorum triginta dierum lapſum, præſentes, ac perſonaliter in conuentu adfuerint, tum, ipſo iure, ſine alia hominis ſententia, aut declaratione, huiuſmodi prioratibus, caſtellania empoſtæ, Baiuliuatibus, commendis, & bonis priuati intelligantur, ac libere ad eorum ſmutitionem, & prouiſionẽ procedi poterit, & interim licitum ſit Receptoribus non ſolum Prioratus, Baiuliuatus, commendas, & bona ſuper quibus debita ipſa fuerint cõtracta, ſed alia omnia quæ debitor poſſidet, etiã a dictis debitis libera, vſque ad integram ſatisfactionem ad manus ſuas eiuſdemque communis ærarij, XX.

capere, tenere, & gubernare, ac ſecundum formam allegati ſtatuti procedere, cui nullo pacto derogare, ſed maiorem vim adijcere intendimus. Mandantes receptoribus ſub pœna duplicis ſolutionis ipſius debiti, vt de negligentia, & incuria huiuſmodi debitorum ſtatim Magiſtrum, & conuentum certiores faciant.

## DE EODEM.

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

XXI. QVoniam pleriq. ordini noſtri fratres communis ærarij debitores, non obſtantibus pluribus ſtatutis, ſtabilimentis, & ordinationibus capitularibus contra eos clamantibus, ſpreto Dei timore, Religionis zelo, & pœnis grauiſſimis in eiſdem contentis, contumaces in iuribus noſtri communis ærarij ſoluendis reperiũtur, Statuimus, ne de cętero ad capitulum generale, Sgardium, concilium ordinarium, completum, electionem Magiſtri, cameram computorum, congregationes linguarum, collectarum, & aſſemblearum admittantur.

## DE DEBITORIBVS CONDEMNATIS *per cameram computorum.*

### IDEM MAGISTER.

XXII. STatuimus, vt qui bona ordinis noſtri adminiſtrauerint, tam in conuentu, quam extra, & in eorum ratione reddenda per cameram computorum ad ſoluendum communi ærario quamlibet pecuniarum ſummã pro quacunque cauſa condemnati fuerint, quamuis ad nos noſtrumq. concilium appellauerint, minime debere audiri in ipſis appellationibus, niſi prius iudicatum ſoluerint.

## QVOD CONDVCTORES *commendarum debitoribus ærarij non ſoluant.*

### F. PETRVS DAVBVSSON.

XXIII. VOlentes in executione contra male ſoluentes facienda acrius prouidere, Statuimus, quòd ſub pœna priuationis cõmendarum fratres, & vaſſalli ſub pœna violati iuramenti fidelitatis, vt conductores ſiue arrendatores huiuſmodi commendarum, & bonorum nullo pacto reſpondeant de fructibus, & redditibus, commendatarijs priuatis. Quod ſi fecerint, huiuſmodi pęnam incurrant, & nihilominus quod per eos exolutum fuerit, non admittatur in computo eorum: quinimo iterum exoluere teneantur. Volumus etiam, quod Priores, Receptores, & Procuratores huiuſmodi ſtatuta ſuper male ſoluentibus edita in quolibet capitulo prouinciali publicari faciant, & nihilominus contrafaciendo in ſuo robore permaneant.

## DE DEBITORIBVS
### communis ærarij.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, quod nullus frater ordinis noſtri cuiuſcunque fuerit conditionis qui debitor noſtri communis ærarij fuerit, dignitates, commendas, officia, & beneficia ordinis noſtri nullo pacto conſequi poſſit, quouſque debita ſua eidem ærario perſoluerit. XXIIII.

F. IOANNES DE VALLETTA.

NEc membra, aut penſiones, etiam ex gratia Magiſtrali, linguæ, Priorum, Baiuliuorum, commendatariorum, vel alterius cuiuſcumque, nec etiam alteri conferre. XXV.

## QVI DEBITORES ÆRARII TEMPORE
### ſmutitionis fuerint dignitates & commendas conſequi non poſſunt.

F. IOANNES DE HOMEDES.

SAncimus, quod frater qui tempore ſmutitionis dignitatum ſeu commendarum in lingua faciendæ communis noſtri ærarij iurium debitor fuerit, nihilo ei ſuffragante, quod ante in manibus eiuſdem ærarij pro ſoluendis debitis ſuas commendas poſuerit, vel poſt ipſam ſmutitionem communi ærario ſatisfecerit, dictas dignitates ſeu commendas vacantes conſequi non poſſit, immo ad eas conſequendas penitus inhabilis & incapax cenſeatur. XXVI.

## QVIBVS COMMITI DEBENT COMmendæ ablatæ male ſoluentibus.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, quod Prioratus, Caſtellania empoſtæ, & commendæ ablatæ à male ſoluentibus per Magiſtrum & conuentum committantur fratribus, qui priuatorum debita ſoluere communi ærario voluerint, ſeruato ordine & ſtilo noſtræ Religionis, præferendo omnibus alijs eos fratres qui nondum cabimentum ſunt aſſecuti ſecundum gradum, & turnum antianitatis, ſi eas pro cabimento acceptare voluerint, ſoluendo ea quæ priuatus ærario noſtro debet. Si autem talis frater nullus reperiatur, tunc indifferenter tam commendatarijs quam fratribus conuentualibus ſeruato ordine antianitatis de gratia committi poterunt, ſaluis iuribus communis ærarij, & ſi forte non reperiatur qui debita priuati velit ſoluere, remaneant in manibus communis noſtri ærarij donec illi integre ſatisfactum fuerit. XXVII.

## QVOD IN PRIVATIONE FRATRVM ſit mortuarium & vacans in commendis.

F. IOANNES LEVESQVE DELA CASSIERE.

XXIIII. STatuimus in priuatione habitus Priorum, Caſtellani empoſtæ, Baiuliuorum,& commendatariorum eſſe in Prioratibus,Caſtellania empoſtæ,Baiuliuatibus, & commendis mortuarium & vacans quocunque ex crimine aut delicto fuerint priuati, declarantes ipſum mortuarium & vacans cadere in commodum & vtilitatem communis ærarij.

## DE COMMENDIS DEBITORIBVS PER priuationem habitus ablatis.

IDEM MAGISTER.

XXV. STatuimus, vt Prioratibus, Baiuliuatibus, commendis,& alijs bonis, quæ malis adminiſtratoribus,delinquentibus,& debitoribus communis ærarij per priuationem habitus ablata fuerint, cõmune ærarium fruatur, donec integre debita ſibi exegerit, quibus recuperatis, mortuarium & vacans exigi incipiat,& noui electi & prouiſi Prioratuum, Baiuliuatuum, & commendarum prouentus conſequi minime valeant, donec communi ærario omnia debita perſoluantur.

## QVOD BONA FRATRVM decedentium ad ærarium perueniant.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXVI. OMnia bona mobilia,& ſe mouentia quorumcumque fratrum noſtrorum tam in conuentu quam extra decedentium cuiuſcunque conditionis & qualitatis fuerint,quæ ſpolia vocamus, ad commune noſtrum ærarium pleno iure pertinent,exceptis bonis fratrum capellanorum obedientiæ,& ſeruientium officij, quorum ſpolia peruenient ad illos,in quorum Prioratibus, Baiuliuatibus,aut commendis reſidentiam & ſtagium habuerint.

## QVAE BONA EX SPOLIIS ad Eccleſiam pertinent.

F. DEODATVS DE GOZONO.

XXVII. EXcipimus etiam vaſa argentea, aurea, & deaurata,quæ figuram calicis ad ſanctum ſacrificium dedicata, ſeu Crucis habent, etiam vaſcula vini & aquæ altaris obſequio deputata,vel ad reponendas ſacras Reliquias:Inſuper ornamenta eccleſiaſtica quęcunque aurea,argentea, & deaurata,atque ſericea, & omnem ſupellectilem, quę ad miniſterium eccleſiaſticum pertinet: Nec non breuiaria & pſalteria,quæ ad Eccleſiæ cultum & ornamentum relinquuntur. Excepta ſunt etiam ſpolia Seneſcalli Magiſtri, Caſtellani,& aliorum fratrum qui ſunt in ſeruitio Magiſtri, quæ ad ipſum Magiſtrum pertinent.

QVAE

## QVÆ BONA EX SPOLIIS AD ſtatum commendarum relinquenda ſunt.

### IDEM MAGISTER.

PRo vſu autem domorum commendarum relinquentur vtenſilia neceſſaria, ideſt, omnis ſupellex, videlicet culcitræ, lecti, coopertoria, & alia vtenſilia pro palatio & cameris, pro penu & coquina, quibus commendatarius, dum viuebat, vtebatur. Currus quoque, vehicula, & omnia inſtrumenta ruſtica. Pecorum vero, iumentorum, armentorum, & reliquorum animaliũ quorumcunque, quæ in dictis ſpolijs vltra ſtatum commendæ reperientur, dimidia pars ad ipſum ſtatum adiungetur, alia ad commune ærarium pertinebit. XXXII.

### F IOANNES DE VALLETA.

DEclaramus tum demum ſupraſcriptum ſtatutum habere locum in commẽdis, quibus in his generibus animalium ſtatus conſtitutus & aſſignatus eſt. In alijs vero commendis quarum ſtatus in huiuſmodi animalibus non conſiſtit, ea animalia ad commune ærarium integre pertinere; Quod ſi in huiuſmodi commendis iumenta, aut boues extra ſtatum pro agricultura in ſpolio reperta fuerint, horum mediam partem, quæ futuro commendatario per modum inuentarij relinquenda erit, ſtatui adſcribimus: alteram vero noſtri communis ærarij eſſe volumus; quæ pro iuſto precio futuro commendatario relinqui poterit, Statum autem huiuſmodi animalium tum demum conſtitutum eſſe dicimus, ſi ab antiquo is fuerit, vel Commendatarius de nouo per ſcripturam authenticam coram Priore, Capitulo, ſeu aſſemblea prouinciali præſentatam, aut in certificatione ſuorum melioramentorum eum conſtituerit, aut iam ſe conſtituiſſe declarauerit. XXXIII

### F. IOANNES DE HOMEDES.

EQui tamen, & Muli fratrum extra conuentum decedentium, & alia animalia, quæ equitari ſolent, & ſella deſeruiunt, cum ſuis ornamentis ad commune ærarium ſpectare debent. XXX IIII.

## DE ARMIS IN SPOLIIS fratrum repertis.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ARma cuiuſuis generis ſiue ad offendendum, ſiue ad defendendum parata in ſpolijs fratrum in conuentu, & citra mare defunctorum ad ærarium pertinent, & in vnum locum conferantur, vbi ſub fida cuſtodia ſeruabuntur ad opus, & pro munitione noſtri conuentus, demptis enſibus & gladiolis, quos dagas & pugnales vocant. XXXV.

## DE RECEPTORIBVS.

### F. ROGERIVS DE PINIBVS.

XXXVI. VT commodius iura noſtri communis ærarij recipi poſſint, & in agendorum expeditione diſtribui valeant, volumus, quod in quolibet Prioratu, & Caſtellania empoſtæ Receptores iurium ipſius ærarij per magiſtrum, & conuentum pro eorum arbitrio conſtituantur, qui iura huiuſmodi exigant, recipiant, & teneant, ac de eiſdem ſecundum ordinationem Magiſtri & Conuentus diſponant.

## DE IVRAMENTO RECEPTORVM.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXXVII. QVi quidem receptores teneantur iurare in manibus Magiſtri, ſi in conuentu præſentes fuerint, aut in manibus Prioris ſi à cõuentu abſuerint, quod bene, fideliter, & diligenter ea quę ad ipſum officium pertinent exequentur, quorum officium per triennium durabit, reſeruatur tamen Magiſtro, & Concilio id tempus ex aliqua iuſta cauſa prorogare ſi ita illis videbitur.

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

XXXVIII. QVo dicto triennio elapſo infra menſem omnes, & ſingulas pecuniarum quantitates, nomina debitorum, iocalia, vaſa tam aurea, quam argẽtea, ſpolia, documenta, mortuaria, aliaq. cuiuſcunq. qualitatis bona ad commune ærarium pertinentia, ſub pœna priuationis, commendarum, membrorum, penſionum, & aliorum quorumcunq. bonorum ordinis quæ poſſident, communi ærario applicandorum, ſuis in officio ſucceſſoribus tradere, & conſignare teneantur. Quo facto intra ſex menſes proxime ſequentes ad rationem, & computum finale ſuæ adminiſtrationis reddendũ ad cõuentum perſonaliter veniant, qui quidem ſex menſes pro reſidentia in conuentu habeantur, quod ſi redditis computis debitores reperti fuerint, & intra menſem non ſoluerint in carcerem detrudãtur, & à die redditionis computorum, vt præfertur, ſint incapaces ad conſequendum dignitates, bona, & officia ordinis noſtri. Decernentes ſuas commendas, mẽbra, penſiones, & quæcunque alia bona etiam mobilia ab eis poſſeſſa apprehendi, & detineri à communi ærario vſq. ad plenam ſolutionem, tam pro ſumma principalis debiti, quam pro reſarciendis damnis, & impenſis inde ſequutis.

## DE OFFICIO RECEPTORVM, ET *Procuratorum noſtri communis ærarij extra conuentum.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXXIX AD receptores ſpectat exigere, conſequi, & accipere à Prioribus, Caſtellano empoſtæ, Baiuliuis, Commendatarijs, & alijs quibuſcunque bona noſtri ordinis, in limitibus Prioratuum in quibus ſunt conſtituti,

poſſi-

poſſidentibus reſponſiones,impoſitiones,paſſagia fratrum, debita vetera,hoc eſt arreragia, & alia quæcunque ſpolia fratrum, mortuaria & vacantia per mortem adminiſtratorum ærario noſtro debita, & alia quæcunque iura, bona, & debita, quomodocumque ad ærarium noſtrum ſpectantia & pertinentia. Quod ſi morte, ægritudine, vel alio quouis impedimento receptores detinerentur ita vt ipſi non poſſent per ſe quæ ſupradicta ſunt facere; volumus vt in eorum abſentia Procuratores in dictis Prioratibus deputati id exequi teneantur. Ijdem receptores & procuratores aderunt in capitulis prouincialibus ad reſponſiones, impoſitiones, & alia debita petenda, exigenda, & recipienda.

## QVOMODO GERERE SE DEBENT *Receptores in colligendo iure mortuarij & ſpolij.*

### F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

STatuimus, quod quotieſcunq. Receptor, aut Procurator ærarij,vel alius ad id deputatus ſe conferet ad colligendum, & habendum iura mortuarij & ſpolij non accedat ſolus, ſed aſſumat ſecum aliquem probum commendatorem vel fratrem,aut duos ex propinquioribus locis defuncti, aut ſecularem perſonam honeſtam, his deficientibus, & Notarium publicum in cuius præſentia viſitet, & notare faciat per inuentarium authenticum in præſentia teſtium receptum, omnia bona & vtenſilia atque agriculturas & fructus quos inuenerit; De quibus,hoc facto,dimittat ſtatum commendę in ea conditione & qualitate in qua ipſum inuenerit, & medietatem ſupellectilis de ſuperabundantibus ad augmentum ſtatus dimittere teneatur, vltra ſtatum primum antequam bona transferantur; & de omnibus quæ geſſerit per ſcripturam authenticam, capitulum prouinciale admoneat; ſi quis receptorum contrafecerit, & damnum marcam argenti exceſſerit, pœnam priuationis habitus incurrat. XL.

## DE EODEM.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

PRæterea Receptores ipſi, vel Procuratores, aut Commiſſarij ſupradicti, duo inuentaria ſeparata faciant,vnum ſtatus commendæ, & alterum bonorum ſpolij ad ærarium pertinentium, & in præſentia prædictorum notare faciant omnia credita fratris defuncti, & aperiant, ſeu aperire faciant illis videntibus & vocatis eius deſpropriamentum: quorum creditorum,& deſpropriamenti exemplum huc ad conuentum noſtrum mittant, vbi per ſcribam ærarij regiſtrabuntur in aliquo ſeparato libro illius Prioratus: ſingulorum enim Prioratuum ſingulos libros ad id deputatos eſſe volumus. Quod ſi frater defunctus deſpropriamentum non fecerit, vel ſi fecerit non reperietur, Receptor de eo Magiſtrum & conuentum certiores facere tenebitur. XLI.

## DECLARATIO IVRIVM,
*ſpolij & mortuarij.*

### F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

XLII. AD declarationem iurium ſpolij, & mortuarij, Dicimus fructus qui die obitus poſſidentium in terra nondum collecti reperientur ad mortuarium, fructus vero collectos ad ſpolium ſpectare & pertinere.

## QVOD RECEPTORES IN CAPITVLO
*Prouinciali manifeſtent ea quæ receperunt.*

### F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

XLIII. INiungimus Receptoribus, vt particulariter & per ſingulas ſummas in quolibet capitulo prouinciali computum eorum quæ receperunt, & quæ reſtant manifeſtare, & reddere teneantur. Attamen priores & capitulum prouinciale nullam habent poteſtatē huiuſmodi computa concludendi, ſeu quietandi, ſed dumtaxat audiendi & ſignandi. Quorum computorum concluſio & definitio Magiſtro & Conuentui reſeruatur, atque ſpectat. Adijcientes, quod ipſi receptores in dicto capitulo teneantur manifeſtare omnes pecuniarum quantitates ac ſummas, quas receperunt de iuribus ærarij tam mortuariorum quam vacātium & reliquorum quorumcunque; & Prior finito dicto Capitulo de his eo ipſo certiores reddere debet Magiſtrum & Conuentum: Quibus computum duplicatum mittant Receptores, vt de negotijs ærarij claram notitiam habeāt. Quod quidem computum apud ærarium regiſtretur.

## DE CÆDVLA MITTENDA PER
*Receptores de ijs qui ſoluerunt, & qui debitores, remanſerunt.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XLIIII. REceptores ſtatim finito capitulo prouinciali tenebuntur vna cum ſuis cōputis anni præcedentis mittere ad Magiſtrum & conuentum breuem cædulam, quæ contineat nomina eorum qui in eo capitulo ſoluerunt, & eorum qui debitores remanſerunt, & pro quibus ſummis, & diſtincte omnes pecuniarum ſummas quas pro quacunque ratione ſeu debito receperint; ſi quis cōtrafecerit, & contenta in hoc ſtatuto, & in ſuperiori non adimpleuerit priuetur fructibus vnius anni commendæ; ſi frater conuentualis perdat vnum annum antianitatis in fauorem filiorum arnaldorum.

## RECEPTORES NIHIL CAPERE poſſunt de ſpolijs.

### F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, quòd Receptores in quolibet Prioratu, & Caſtellania empoſtæ nullo modo de ſpolijs Priorum, Caſtellani empoſtæ, nec commendatariorum, vel fratrum morientium in dictis Prioratibus, & Caſtellania empoſtæ lectos, aut alia vtenſilia, vel res quaſcunque ſumere præſumant. Qui contrafecerint, officio priuati eo ipſo cenſeantur, ac duplum illius quod cœperint ærario perſoluant: quacunque conſuetudine in contrarium faciente in aliquo non obſtante. XLV.

## QVOD RECEPTORES NIHIL capiant de ſtatu commendarum.

### F. DEODATVS DE GOZONO.

DE his quæ ad ſtatum commendarum, & vſum domorum pertinent, Receptores in colligendo ſpolio & mortuario, vel alias nihil omnino etiam capere poterunt, ſed ea omnia integra & intacta relinquent. Quod ſi contrafecerint, & aliquid è commendis abſtulerint, id omne reſarcire, reficere, reſtituere ſua pecunia teneantur: Nam ærarium noſtrum ad huiuſmodi quicquã obligatum eſſe nolumus: & præter hoc pœnam valoris mortuarij eiuſdem commendæ ſubeant, qui ærario noſtro applicabitur. Prior vero & Caſtellanus empoſtæ ad inſtantiam commendatarij læſi receptorem compellat ad talem reſtitutionem faciendam. Quod ſi in eo Prior vel Caſtellanus empoſtæ negligens fuerit, ipſe ſuo nomine reſtituere & reficere teneatur, & ad hoc a Magiſtro & conuentu, inſtante commendatario, compellatur. XLVI.

## RECEPTORES IN LOCO TVTO pecunias quas recipiunt reponere debent.

### F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quod Receptores in quolibet Prioratu & Caſtellania empoſtæ pecunias iurium ærarij per eos receptas, & quas pro tempore recipient, apud tutas & fidas perſonas deponant. De quibus recognitionem & documentum authenticum, validamq. obligationem habeant, vel apud ſe in loco tuto ipſas fideliter conſeruent: De his quoque & apud quos ſint ſecuræ Priores, & Caſtellanum empoſtæ ſeu eorum vicegerentes, & commendatarios dictorum Prioratuum & Caſtellaniæ empoſtæ in prouinciali capitulo, & non aliter, certiores reddant, pro quorum indubitata verificatione inſtrumenta & recognitiones obligationis oſtendere teneantur: ne aliquo caſu contingente pecuniæ ſurripi, aut occultari poſſint. Si quis Receptorum contrafecerit in priuationis habitus pœnam labatur. XLVII.

## QVOD RECEPTORES NON OBSTANTE *quacunque lite exigant iura ærarij.*

F. IOANNES DE LASTICO.

XLVIII S Ancimus, quòd Receptores noſtri communis ęrarij quæcũque iura ipſius omni reiecto litigantium reſpectu exigant, petant, & recipiant ab illis, qui quoquomodo tenẽt & poſſident, Prioratus, commendas, & domos ratione quarum diſceptatur & litigatur: nec propterea partium iuribus vllum prę iudicium generari intendimus; Qui vero tales cõmendas tenebunt, ſi ſoluere recuſabunt, eo ipſo pœnam priuationis incurrant, à ſuo quoque iure cadant, & contra tales tamquam inobedientes & rebelles procedatur.

## QVOD RECEPTORES ABSQVE *alicuius licentia pro mortuario & vacante commendarum poſſeſſionem capiant.*

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XLIX. S Tatuimus, quod cum primum Priores, Caſtellanus empoſtæ, Baiuliui, commendatarij, & alij bonorum noſtrorum adminiſtratores è vita deceſſerint, vel viuentes ipſi adminiſtrationi ceſſerint, & renunciauerint, vel eam reſignauerint; Receptores & procuratores noſtri ærarij dictos Prioratus, Caſtellaniam empoſtæ, commendas & bona, ſua propria auctoritate, & ſine licentia alicuius iudicis, vel curiæ, eorumq. corporalem poſſeſſionem nomine noſtræ Religionis capere, fructus colligere, ſpolia mortuaria, & vacantia, & alia debita exigere, eaq. retinere per ſe vel per alios, vſque ad integram ſatisfationẽ noſtri communis ærarij debeant. Si qui vero fratrum noſtrorum dictos noſtros receptores quauis occaſione in prædictis fructibus, & ſpolijs percipiendis, atque in dictis poſſeſſionibus adipiſcendis aliquo modo impediuerint, Prioratibus, commendis, & omnibus ordinis noſtri officijs, & beneficijs priuati ſint, & ſi fuerint fratres conuentuales antianitatem perdant.

## CONTRA RECEPTORES *negligentes in exigendis debitis.*

IDEM MAGISTER.

L. S I Receptores fuerint negligentes in exigendis debitis, & capiendis ad manum noſtri communis ærarij commendis debitorum, ſecundum formam ſtatuti noſtri, eo caſu, ipſi ſua pecunia pro debitore ſoluere teneantur. Idem obſeruari volumus in alijs omnibus debitis dicti ærarij, ſi ea poſtquam dies ſolutionis aduenerit exigere non procurarent, & debitas diligentias non adhibuerint, de quibus cum ſuis computis legitime conſtare faciant.

## *PER QVOSCVNQVE PROCESSVS, ſeu ſententias ad requiſitionem receptorum in male ſoluentes factas, & promulgatas à noſtris conſtitutionibus non intelligatur receſſum.*

### F. IOANNES DE HOMEDES.

CVm, vt ſæpe euenire ſolet, noſtri ordinis Receptores, quo facilius debita iurium noſtri communis ærarij à male ſoluentibus recuperent, cõtra eos ex præſcripto priuilegiorum noſtrorum ſeu alias procedant; & à pleriſq. in dubium vertatur, an tunc temporis conſtitutiones noſtræ vendicent locum: Ideo hanc dubitationem tollentes, hac preſenti lege decernimus, & declaramus: quod & ſi per eoſdem receptores ex forma indultorum, priuilegiorumq. Apoſtolicorum, ſeu alias coram quocunq. iudice ordinario, ſeu noſtri ordinis ſuperiore, etiam contra minores xiiij. annis, non eis conſtitutis curatoribus, alioſuè noſtri publici ærarij debitores, etiam ad aliquas priuationes, declaratorias ſententias, ſeu priuationem prioratuum, caſtellaniæ empoſtę, Baiuliuatuum, commendarum, & beneficiorum, eorumq. poſſeſſionis quomodolibet proceſſum fuerit; Nihilominus non ſit neq. cenſeatur à conſtitutionibus contra eoſdem debitores diſponentibus receſſum, vel alias præiudicatum, Quinimo ſtatuta ipſa illæſa permanere, proceſſus, pœnaſq. ipſas, & omnia inde ſequuta ſuam vim habere, ſuoſque effectus ſortiri iubemus, & volumus. L I.

### IDEM MAGISTER.

SAncimus, vt libris receptorum noſtrorum, & cædulis eorum manibus ſubſcriptis, quoad debitores ęrarij noſtri, integra, & indubia fides, abſq. alia probatione adhibeatur. L II.

## *DE PROCVRATORIBVS COMMVNIS ærarij in conuentu.*

### F. IOANNES DE LASTICO.

CIrca iurium, & bonorum publici ærarij conſeruationem nulla ſatis poteſt eſſe diligens cura, & vigilantia; Idcirco pro vtili adminiſtratione prædictorum, vltra Magnum Cõmendatarium: qui ratione ſui officij huic exercitio expreſſe eſt deputatus, & ab eo dimoueri non poteſt: duos probos religioſos prudentes, & diſcretos ex Baiuliuis, & Prioribus ordinis noſtri in conuentu exiſtentibus: his quoq. deficientibus ex Baiuliuis capitularibus, vel locatenentibus Baiuliuorum conuentualium per Magiſtrum & concilium ſumma cura eligi, iuramento interueniẽte, iubemus. Ad conſeruationem quoq. iurium dictorum bonorum ipſi magnus commendatarius, & procuratores capſas firmas, & tutas, optimiſq. ſeris clauſas habeant; quarum clauium quilibet ipſorum trium vnã teneat; Pariformiter res, & alia bona dicti ærarij in magazenis, ſeu voltis reponant, & locis aptis recludant ſub eorum clauibus, de quibus nulla fiat diſtributio L III.

niſi prius per conſeruatorem, & ſcribam ærarij in libris diligenter annotetur: qui quidem Procuratores communis ærarij rationem ſuæ adminiſtrationis quolibet anno reddere teneantur Magiſtro & concilio.

## DE RESIDENTIA MAGNI *Commendatarij in conuentu.*

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

LIIII. STatuimus, vt magnus Commendatarius teneatur facere reſidentiam in conuentu, nec poſſit ab eo diſcedere quandiu in eo officio fuerit; & quod alij duo procuratores communis ærarij in eo officio per duos annos ſeruire, & permanere debeant; in quo tempore licentiam abeundi à conuentu obtinere non poterunt, nec ſimul ambo officium dimittere, ſed ſingulis annis vnus tantum de duobus mutabitur, ita vt non fiat vna vice niſi vnus procurator.

## DE ÆRARII CONSERVATORE.

F. IOANNES DE LASTICO.

LV. PRo conſeruatione & diſtributione bonorum ærarij noſtri, iubemus eligi in Conſeruatorem generalem ærarij vnum fratrem idoneum & ſufficientem ex quacunque lingua libuerit: Qui omnium pecuniarum & bonorum mobilium ad ærarium pertinentium curam & cuſtodiam habeat, atque recipiat, conſeruet & diſtribuat ſecundum diſpoſitionem, ordinationem, & voluntatem Magiſtri & concilij cum ſcientia & apodixia magni Commendatarij, ipſe autem conſeruator, ſi frater miles fuerit, centum ducatos Rhodi, ſi vero capellanus, aut Seruiens armorum extiterit, centum florenos Rhodi currentes à communi ærario percipiat, cum in conuentu reſidentiam fecerit; Quod ſi ad partes ponentis mittetur, tunc ſtipendia ei conſtituantur, prout Magiſtro & Concilio videbitur; Qui conſeruator generalis in quolibet capitulo generali mutetur, & alius ſubrogetur; ſucceſſor tamen de lingua prædeceſſoris eligi non poſſit niſi decennio præterito.

## DE AVDITORIBVS COMPVTORVM.

IDEM MAGISTER.

LVI. VLtra Magnum Commẽdatarium & duos Procuratores communis ærarij, Conſeruatoremque generalem octo fratres, octo linguarum, vnum de qualibet lingua deputari iubemus: qui computa & omnia ærarij negocia viſitandi, audiendi, recognoſcendi, quomodo gerantur & miniſtrentur, authoritatem, & facultatem habeant. Qualibet quoque hebdomada vnum diem deputent in quo id exerceant. Quod ſi aliquid reformandum compererint ad Magiſtrum & Concilium ordinarium referant, qui poſtpoſitis alijs negotijs ſuper hoc prouideant: dicti enim fratres ſufficientes, idonei, probi, & huic officio apti à fratribus linguarum eligentur: qui ſic electi Magiſtro & concilio ordinario præſententur, conſtituti quoque coram Magiſtro ſolemni iuramento adigantur,

quod

quod fideliter commodum ærarij procurabunt, & ipſum pro eorum conſcientia à damno conſeruabunt; Dicti octo fratres redditioni computorum, quę magiſtro, & concilio fiet, aderunt: Intererunt quoque ſolutionibus per commune ærarium faciendis.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVos auditores quolibet biennio mutari volumus non omnes ſimul, ſed per interualla, vt ſemper aliqui ex veteribus remaneant. LVII.

## *DE PROBO HOMINE CONSERVATORIS.*

### F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quòd per Magiſtrum & concilium ordinarium deputetur & eligatur aliquis frater ordinis noſtri idoneus, & ad hoc aptus, qui computum liquidum & clarum teneat diligenter de omnibus & ſingulis tam pecunijs quàm rebus quibuſuis, quas in dies conſeruator generalis nomine communis ærarij recipit; in quorum receptione deputatus ipſe ſit præſens, & etiam redditioni computorum conſeruatoris aſſiſtat, & quod teneantur duo libri eorum quæ recipientur, vnus apud conſeruatorem, & alter apud deputatum exiſtat: qui quidem deputatus recepta in duobus libris præfatis ſcribat & annotet, vt de receptis clara notitia habeatur, quodque Magiſter & Concilium ordinarium eidem deputato pro ſtipendio aſſignent ab ærario percipiendo quod eis bene viſum fuerit; ſtetq. in eo officio deputatus pro termino Magiſtro & concilio beneuiſo; quo elapſo ipſe idem deputatus, aut alius pro comperta idoneitate & ſufficientia ſubrogetur. LVIII.

## *DEBITA FRATRVM DEFVNCTORVM creditoribus ſoluantur.*

### F. IOANNES DE VILLERS.

STatutum eſt, quod debita fratrum defunctorum, quæ legitime atque authentice apparebunt, creditoribus exoluantur ex bonis tantum mobilibus fratris defuncti ſaluo ſtatu commendæ, & ſi bona mobilia non ſufficerent, tunc de bonis ſtabilibus de nouo per fratrem Religioni acquiſitis ipſis creditoribus ſatisfactio fiat, & non aliter. LIX.

## *QVOD DEBITA FRATRVM DEFVNCTORVM non ſoluantur ex anno mortuarij.*

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

PRohibemus Prioribus, Caſtellano empoſtæ, Capitulis prouincialibus, aſſembleis, receptoribus, & alijs quibuſcunque nobis ſubiectis, ne poſſint, nec debeant ſoluere, nec decernere, & ordinare, vt debita fratrum defunctorum, Priorum, Baiuliuorum, Commēdatariorum ſoluantur ex fructibus, LX.

redditibus,& prouentibus mortuariorum, Prioratuum, Baiuliuatuum, & commendarum vacantium,quæ mortuaria pleno iure ſpectant ad ipſum ærarium,qui contrafecerint,de ſuo cum omni intereſſe communi ęrario reſtituere & ſatisfacere teneantur.

## DE SPOLIIS BAIVLIVORVM *æſtimandis;*

### F. BAPTISTA DE VRSINIS

LXI. Bona,& res ſpoliorum Priorum,Baiuliuorum, commendatariorum, & fratrum in conuentu decedentium per octo fratres antianos octo linguarũ, prout fieri ſolitum eſt, æſtimentur.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

LXII. Quæ quidem æſtimatio fieri debet ad verum valorem, vocatis expertis medio iuramento, de qua dimidia pars detrahi poterit. In ſpolijs Priorum Baiuliuorum, & Locatenentium Baiuliuorum, ſoli Baiuliui, Priores & Locatenentes Baiuliuorum participare debent. In ſpolijs commendatariorum, commendatarij, & fratres conuentuales. In ſpolijs fratrum conuentualium ſoli fratres conuentuales milites.

## QVOD FRATRES ÆGROTI *manifeſtent bona ſua.*

### F. ELIONVS DE VILLA NOVA.

LXIII. Quæ fratres noſtri tenent & poſſident ad noſtrum ordinẽ cenſentur pertinere, quapropter cum fratres noſtri morbo tenentur occupati in vim obedientiæ cenſentur obligati vocare ad ſe duos fratres ex propinquioribus locis vbi in infirmitate detenti ſunt, quorum vnus ſit capellanus,ſi adeſſe poterit, & alius probæ conditionis. Quibus quidem duobus manifeſtent omnia bona vtẽſilia,pecunias, & res quas tenent. Quæ in ſcriptis redigantur & poſtea ſigillo fratris infirmi, & ipſorum duorum fratrum in eorum præſentia, quæ ſcripta fuerunt, ſigillentur:ipſumq. ſcriptum ei qui adminiſtrationem, aut procurationem ærarij habet, præſentari debeat;ſi autẽ conualuerit ipſum ſcriptum ſibi reſtituatur. Nec liceat ſub pœna inobedientiæ ipſis fratribus qui aderunt cum ſcribentur, viuente ipſo fratre quæ ſcripta ſunt reuelare. Quod ſi contra fecerint adminiſtratione cõmendarum decem annos eo ipſo priuentur. Si vero contrafaciens ſit frater conuentualis fiat de eo quærela, & per iuſtitiam religionis ducatur; & ſi in dictis bonis ſpolij aliquis frater cuiuſcunque conditionis fuerit apponat manum, vel aliquid capiat, de eo fiat quærela & priuetur cętu, & ſocietate fratrũ ordinis noſtri. Si vero frater infirmus contempſerit adimplere quę dicuntur, ipſo conualeſcente de eo fiat quærela, & per iuſtitiam tanquam inobediens ducatur: cum contra paupertatis votum bona ſibi adſcripſerit & ea manifeſtare contempſerit.

## QVOD IVRA ÆRARII IN *litibus non impendantur.*

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

STatuimus, quod nullus Prior, commendatarius aut frater poſſit ex bonis & iuribus communis ærarij, ac ſpoliorum mortuariorum & vacantium lites fouere, proſequi, & manutenere aut ea in alienos vſus conuertere. Quinimo dicta iura, ſpolia, mortuaria & vacantia ad ipſum ærarium perueniant, qui contrafecerit, vel manus dictis iuribus iniecerit, & damnum attulerit, ſi vltra marcam argenti exceſſus fuerit perdat habitum, ſi infra marcã, ſit in quarantena. LXIV

## QVOD STIPENDIVM *ſoluatur oratoribus.*

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

ORatoribus & nuncijs, quos ſecundum rerum & negociorum exigentiam ad diuerſas orbis prouincias mittere neceſſe fuerit, hoc ſtipendium moderate conſtituimus; quia licet onera profectionis ſuſcipiant, ordini tamen ſeruire tenentur, & pro obſequijs maiora conſequuntur præmia quàm quæ ſuorum retributioni & compenſationi aſcribuntur. Prior aut Baiuliuus cuius onus legationis pro partibus occiduis imponitur, à communi ærario duos ducatos accipiet quolibet die ſuæ legationis tempore durante; commendatarius autẽ ducatum vnum: ſi tamen commendatarius talis conditionis fuerit, quòd magiſtri & concilij arbitrio videbitur vltra dictam quantitatem promereri, tunc dimidiũ ducatum pro quolibet die addere poterunt. Oratoribus verò qui in oriente legationem exercebunt, Magiſter & concilium ſtipendium pro rerum & profectionis qualitate deputabunt, Volumus quoque dictos oratores perſonaliter ad conuentum reuerti debere, vt eorum relatu Magiſtro & conuentui cuncta innoteſcant. Quo habito, Magiſter & conuentus pro rerum ingruentia prouideant & cognita oratoris prudentia, diligentia, & curioſa agendorum executione ſuis iuribus & promotionibus commendatum ſuſcipiant. LXV.

IDEM MAGISTER.

MAgnas commẽdas Cypri, Langonis, & Niſari, omnibus linguis cõmunes, noſtro communi ærario vnimus & incorporamus.

## DE SOLDEIS FRATRVM SOLVENDIS.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quod ſoldeæ fratrum ſoluantur per totum menſem Septẽbris, quo ſuis neceſſitatibus pro rerum ingruentia fratres ſubuenire poſſint, fratres autem qui de bonis ordinis noſtri habent prouiſionem, aut domos vel alios redditus vltra ſexaginta florenos Rhodi curreutes, ſoldeam à communi ærario non ſumant, ſimiliter etiam, qui commendam cuiuſcunque valoris fuerit poſſident, ſoldea careant. LXVI

## DE IOCALI QVOD CAPITVR A MAgno commendatario in ſpolijs fratrum.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

LXVIII STatuimus, non obſtante quacunque conſuetudine in contrarium faciente quod Magnus Commēdatarius ſiue eius locumtenens capere de ſpolijs fratrum decedentium aliquod iocale non poſſit, niſi ad ſummam florenorum Rhodi currentium quinque dumtaxat & non plurium. Quodquidem iocale in computo tabularum aut ſtipendiorum quæ ab ærario ſumit reponatur.

## QVOD SOLVM GENERALE CAPITVlum debita poſſit remittere.

F. FABRICIVS DE CARRETO.

LXIX. QVæ communi vtilitati ſunt adſcripta in priuatos vſus conuerti non debēt; Ideo ſtatuimus, quòd nullus cuiusuis qualitatis, gradus, officij & conditionis exiſtat, præſumat remittere, relaxare aut condonare quaſuis pecuniarum ſummas debitoribus cōmunis ærarij ab ipſis quouis modo vel cauſa debitas ſine legitimæ cauſæ cognitione, quæ ſolummodo ad magiſtrum & generale capitulum pro tempore celebrandum ſpectat. Si quis autem contra hanc ordinationem remiſerit aut condonauerit, de ſuo feciſſe intelligatur. Contra quos commune ærarium regreſſum habeat pro ſumma remiſſa, & nihilominus cui præter hanc normam remiſſum fuerit, vt verus debitor, non ſit abſolutus, donec commune ærarium aut à donante, aut à debitore ſuam integram ſatisfactionē receperit.

## DE LITERIS CAMBIJ.

F. IOANNES DE LASTICO.

LXX. STatuimus, quòd Vicecancellarius ſub pœna priuationis officij non faciat literas aſſignationum vel cambij pro fratribus aut ſecularibus perſonis niſi prius de eiſdem fuerit deliberatum per Magiſtrum & concilium, & poſtquam factæ fuerint, bulla communi plumbea muniantur, & in Cancellaria regiſtrentur; Et antequam parti conſignentur per conſeruatorem conuentualem, & ſcribam noſtri communis ærarij ſub bullæ plica ſignentur. Quibus ſolemnitatibus deficientibus pro nullis habeantur.

## DE PROVISIONE EQVORVM PRO cuſtodia inſulæ.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

LXXI. FRatres noſtri in conuentu equos aptos pro tuitione inſulæ tenere & habere debent, & ærarium debet dare per totum annum mōſtras dictis equis, qui per Mareſcallū ſiue eius locumtenentē & probos homines idoneos, & ad id deputatos, & iureiurando ſolemni adactos, quod recte & iuſte iudicabūt, iudicati apti & idonei pro ipſa cuſtodia extiterint. Illi autem equi qui repulſi, & minus idonei iudicati à prædictis Mareſcallo, & probis hominibus fuerint monſtras non habeant.

## QVOD EQVIS DETVR *ordeum ab ærario.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, quòd commune ærarium noſtrum pro monſtra equorum ſolue LXXII.
re debeat cuilibet fratrum noſtrorum pro quolibet equo ſalmas ſex or-
dei, quòd ſi ærarium ordeum non habuerit pro quolibet ſalma ſcutum
vnum ſoluere tenetur. Fratres autem qui ab ærario ordeum accipient, ſtatim
vbi à Magiſtro aut Mareſcallo exire iuſſi fuerint, ad cuſtodiam inſulæ, obedire
tenebuntur. Quòd ſi qui reſtiterint, & alios comitati non fuerint, amittant or-
deum vnius anni.


IN HOC
VINCES
NEC PRIVATAE REI CONSVLIT
QVI REIP. NON CONSVLIT.

# DE CAPITVLO TAM GENERALI QVAM PROVINCIALI

## TITVLVS SEXTVS.

### QVOMODO CAPITVLVM generale celebretur.

CONSVETVDO.

MAIORES noſtri ſolerti mente rerum publicarum ſtatui conſulentes pro veteri conſuetudine generale capitulum indicere atque celebrare conſueuerunt: vbi religioſorum mores reformentur, regiminis norma dirigatur, & quæ ſtatum, & publicam vtilitatem concernunt componantur. Nos quoque veſtigijs ipſorum inhærentes generale capitulum hac inuetarata conſuetudine celebrare ſolemus. Decens autem eſt in exordio atque initio publici conſeſſus almum Spiritum, ſine quo nullum ritè fundatur exordium, inuocare, ſuppliciterq. exorare, vt cæptis faueat, mentesq. dirigat, ac illuſtret. Vbi itaque capitulantes conueniunt priuſquam ad acta capitularia procedatur, vna cum Magiſtro ad eccleſiam accedunt. Illic quoque de Sancto Spiritu ſolemnis miſſa per Priorem eccleſiæ in aurora cantatur, cuncti quoque Spiritum Sanctum deuotiſſime inuocant, quatenus intellectus gratiam eis infundat qua illuſtrati recta mente de publicis agendis conſultent,& ordinēt. Miſſa peracta Magiſter cum cætu capitulantium atque fratrum ab eccleſia proceſſionaliter diſcedens cum vexillo ſiue ſtendardo Religionis ad locum capituli procedit. Adſunt ordine ſolemnis proceſſionis campana ſonante Prior eccleſiæ in ornatu pontificali, Capellani, Diaconi, & Clerici hymnum de Sancto Spiritu pſallentes. Cumq. ad capituli locum peruenerint, cantatur ℣. I.

Saluos fac ſeruos tuos ℟. Diciturque oratio de Spiritu Sancto.

Poſtea Capellanus Euangelium decantat. Videlicet Cum venerit filius hominis.

Demum Magiſter, Baiuliui, Priores, Caſtellanus empoſtæ & proceres capitulantes pro gradu dignitatis, & præheminentiæ conſidunt. Regula quoque legitur; Ac poſtea ſermo per quempiam doctum, & idoneum pro rerum exigentia, de his quæ publicam vtilitatem, ac animarum ſalutem concernunt, habeatur; Quibus peractis capellani, & qui capitulo intereſſe nondebent, diſcedunt. Poſt

hæc Magiſter ſi libuerit de ſtatu religionis, de publicis agendis dirigendis verba facit.

Poſtea die prima Capituli non feriata congregatis capitularibus deputantur & eliguntur in ipſo loco capituli per Magiſtrum, & alios, qui in concilio ordinario adeſſe ſolent tantum, aliqui ex ipſis Cōmiſſarij: Qui procurationes ſeu procuratoria mandata Baiuliuorum, Priorum, & aliorum abſentium, qui ad ipſum generale capitulum venire tenentur, vocato Vicecancellario, examinent, & recognoſcant. Quæ idonea & ſufficientia repererint, admittant, cætera reijciant. Quo peracto Baiuliui, Priores, Caſtellanus empoſtæ, & proceres capitulantes burſam ſuo nomine inſcriptam cum quinque ianetis argēteis, in ſignum deſpropriationis, & ei alligatum rotulum ſeu ſcriptum ſtatum ſuorum officiorum, ac ſententias ſuper his quæ ad publicum commodum agenda ſunt continentem: ipſorumque officiorum ſigillū pro communi vtilitate & honore Magiſtro, cum oſculo manus reuerenter ſecundum eorum ordinem & præeminentiam, & Mareſcallus præterea ſuo ordine vexillum & ſtendardum Religionis præſentant. Burſis autē vexillo ac rotulis præſentatis, in capitulo incorporati nominatim deſcribuntur: Demum rotuli ipſi ordine gradus & præeminentiarum alta & intelligibili voce Vicecancellarij organo leguntur. His lectis ad ſexdecim capitulantium electionem hoc modo proceditur.

Fratres capitulantes, & in ipſo capitulo incorporati, confeſſi & contriti ac ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramento accepto, ſolemne iuramentum præſtent rite & recte ſecundum Deum & conſcientiam, in cauſis & negocijs, quæ coram illis tractabuntur ſe proceſſuros & iudicaturos, nec quicquam omnino decreturos, aut conceſſuros, quod in apertum manifeſtum ſeu graue detrimentum alicuius tertię perſonæ tendat ac vergat.

Quo peracto ſeparatim in loco capituli de licentia & mandato Magiſtri per linguas conueniunt, vbi quælibet lingua duos ex eis in capitulo incorporatis ſuæ linguæ idoneos & prudentes eligit, & Magiſtro præſentat. Quod ſi in aliqua lingua deficerent fratres, ex alia aſſumantur de incorporatis in Capitulo. Hi ſexdecim ſic electi conſtituti coram Magiſtro & Capitulo reuerenter iuramentum præſtant, quòd omni ſemoto priuato affectu & paſſione, decus & vtile religionis & fratrum conſultabunt, decernent, & ſtatuent. Magiſter vero & cæteri capitulantes in loco Capituli ad cætera agenda & pertractanda remanentes in eos compromittunt, & iureiurando promittunt tenere ſe & grata habere quæcunqne per ſexdecim concluſa deliberata & conſtituta fuerint. Sic ſexdecim ſolemni iuramento adacti ad locum ſeparatum ſecedunt, & cum eis procurator Magiſtri, qui habet votum conſultiuum, & non deciſiuum, & Vicecancellarius pro redigendis deliberationibus in ſcriptis; vbi agenda tractant, concludunt, & deliberant hac norma.

Primo, de portionis impoſitione quo ordini ſubueniatur: Inſuper, de ærarij gubernatione & regimine: Demum viſitatis rotulis de reformandis moribus, inſtituendiſque legibus: Ac poſtremo de cæteris ordinationibus alijſque emergentibus negotijs ſtatum publicum concernentibus diſcutiunt, deliberant, concludunt, & definiunt. Alij vero capitulantes cætera negocia pro rerum ingruentia tractant. Quibus peractis, ſigno campanæ dato ad Magiſtrum & Capitulum cunctis fratribus euocatis, accedentibus quoque capellanis proceſſionaliter, deliberata, concluſa, & ſtatuta per eos palam referuntur, publicantur, & organo Vicecancellarij promulgantur. His publicatis, burſæ & ſigilla, ac vexillum per Magiſtrum, Baiuliuis, Mareſcallo, ac Prioribus, & cæteris capitulantibus

ſecundum ordinem reſtituuntur. Quo peracto Capellani, qui proceſſionaliter acceſſerunt, orant in modum infraſcriptum. Quibus finitis, Capitulum clauditur.

## QVEMADMODVM FINITO GENERALI & Prouinciali Capitulo preces fiunt.

### CONSVETVDO.

DIgnum exiſtit, vt cunctis actionibus peractis, mentem ad Deum dirigamus & ſuam clementiam ad quietem humanam, & beatitudinem conſequendam ſupplicemus. Itaque generali & prouinciali finito Capitulo Capellani aſſiſtentes, qui illuc proceſſionaliter acceſſerint, preces & orationes ad Deum pro omnium fidelium pace, viuentium & defunctorum quiete, vt ſequitur facere ſolent & ſic ſeruari iubemus. II.

## ORATIO PRO PACE.

ORemus, vt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, pacem quietem & concordiam omnibus fidelibus Chriſtianis concedat, bella & ſeditiones reprimat, infidelium rabiem refrenet, & omnium Chriſtianorum ſemitas in viam dirigat ſalutis æternæ.

### *Oratio pro fructibus terræ.*

ORemus, vt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus fructus terræ dare, multiplicare, & conſeruare dignetur.

### *Oratio pro Summo Pontifice.*

ORemus, vt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus Paſtorem gregis ſui N. non deſerat, ſed continua protectione defendat; fidem & charitatem augeat; vt vna cum commiſſio ſibi grege ad vitam perueniat ſempiternam.

### *Oratio pro Cardinalibus & Prælatis.*

ORemus, vt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, & cæterum vniuerſum clerum in ſuo ſancto obſequio confirmare & conſeruare dignetur.

### *Oratio pro Imperatore & Principibus.*

ORemus, vt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus Imperatorem, Reges, & Principes catholicos in pace & vera concordia conſeruet, ac eos ad ſubigẽdam Barbarorum & infidelium gentem, atque terram ſanctam Hieruſalem à ſeruitutis iugo liberandam feruentius animare dignetur.

### *Oratio pro magiſtro Hoſpitalis.*

OREmus: vt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus Magiſtrum noſtrum. N. ad gubernationem domus Hoſpitalis, & Religionis noſtræ fratrumq. noſtrorum illuſtrare, & inſtruere dignetur, ipſumq. longeuum, & in proſpero ſtatu conſeruet.

### *Oratio pro Baiuliuis, & Prioribus.*

OREmus: vt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus Baiulinos, Priores, & caſtellanum empoſtæ ordinis noſtri dirigat,& eorum mentes illuſtret quo honorem & vtilitatem ordinis noſtri adimplere ſtudeant.

### *Oratio pro fratribus Hoſpitalis.*

OREmus: vt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus fratres noſtros conſeruare dignetur ac nos à votis promiſſis declinare non permittat.

### *Oratio pro infirmis & captiuis.*

OREmus: vt Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus omnibus infirmis, & captiuis ſalutem tribuat vt captiuitate,ac ægritudine liberati ad Eccleſiam ſanctam veniant gratias reddituri.

### *Oratio pro peccatoribus.*

OREmus: vt Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus omnes peccatores à vinculis peccatorum abſoluat, & æternam faciat obtinere ſalutem.

### *Oratio pro benefactoribus noſtri Hoſpitalis.*

OREmus: vt Deus,& Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro pijs operibus illorum dignam mercedem tribuat, & poſt mortem æternam ſalutem concedat.

### *Oratio pro confratribus & conſanguineis.*

OREmus pro animabus confratrum, parentum, & coniunctorum noſtrorum pro his qui in noſtris cœmeterijs per vniuerſum orbem requieſcunt.

Pſal. Deus miſereatur &c. Pſal. De profundis &c. Kyrie eleyſon; Chriſte eleyſon; Kyrie eleyſon. Pater noſter, ℣. Fiat pax in virtute tua ℟. Et abundantia in turribus tuis. ℣. Saluos fac ſeruos tuos, ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine &c. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat &c. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

ORATIO.

DEVS à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera da ſeruis tuis illam quam mundus dare non poteſt pacem: vt & corda noſtra mãdatis tuis dedita & hoſtium ſublata formidine tempora ſint tua protectione tranquilla. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

## *QVOD FRATRES ACCEDANT AD capitulum generale.*

F. IOANNES FERDINANDVS DE HEREDIA.

III. IN iunctum eſt baiuliuis, Prioribus, caſtellano empoſtæ, Commẽdatarijs, & alijs qui ratione ſui ſtatutus aut dignitatis capitulo generali incorporati ſunt, vt ad illud accedere teneantur niſi vrgentiſſima & penè ineuita-

bili cau-

bili cauſa præpediti fuerint, quo caſu procuratorem mittant cum expreſſo mandato. Qui contrafecerit tamquam inobediens habitu priuetur.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVæ quidem pœna moderari poterit per Magiſtrum & Capitulum generale. IIII.

## DE RESIDENTIA ADMITTENDORVM *in Capitulo generali, & quouis Concilio.*

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

IVSTVM eſt, ut qui conſtitutionum ordinis eſt ignarus, & in negocijs Religionis parum verſatus iudicis officio fungi nõ debeat. Idcirco ſtatuimus, vt frater qui in conuentu per annos octo continuos, aut per interualla reſidentiam non fecerit minime in poſterum in Capitulum generale admittatur; Nec in quouis concilio ſiue iudicio noſtri ordinis niſi per annos quinque; præterquã fratres venerandæ linguæ Angliæ & Alemaniæ. V.

## QVOD PROCVRATORES AD CAPITVlum generale non admittantur niſi ſufficientem procurationem ſuorum principalium demonſtrauerint.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

MAndantes, quod procuratores Priorum, Baiuliuorum, Caſtellani empoſtæ, ac Commendatariorum cuiuſcunque conditionis ſint, non admittantur per Magiſtrum, & generale capitulum, nec capitulo interſint, niſi ſufficiens & authenticum procuratorium mandatum ſuorum principalium monſtrauerint, cum ſpeciali poteſtate ad comparendum in capitulo, & concludendis ac tractandis in eodem conſentiendum. Qui vero aliquo impedimento retenti venire aut procuratorem mittere non potuerint, cenſeantur capituli decretis conſenſiſſe & ea rata & grata habuiſſe ac ſi præſentes interfuiſſent. VI.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

NVlli procuratori ad capitulum generale conſtituto liceat virtute cuiuſcũque mandati alium ſubſtituere: ſed ipſe præſens adeſſe tenebitur: etſi in procuratorio mandato ad capitulum generale plures nominabuntur tũc preferatur magis antianus: niſi aliter de voluntate conſtituentis appareat. VII.

IDEM MAGISTER.

## FORMA PROCVRATORII MANDATI *Baiuliuorum & Priorum pro capitulo generali.*

VIII. FRater N. miles Hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolymitani Prioratus ſeu Baiuliuatus N. humilis Prior ſeu Baiuliuus. Notum facimus, quod nos confiſi de prudentia, probitate fide, & induſtria religioſorum in Chriſto fratrum noſtrorum N. & N. eos de noſtra certa ſcientia melioribus via, modo, quibus potuimus & poſſumus, fecimus, conſtituimus, & deputauimus, & per has noſtras literas facimus, cõſtituimus, & deputamus noſtros veros & legitimos procuratores generales & ſpeciales abſentes tamquam præſentes, & quemlibet eorum inſolidum; hoc videlicet modo: Primo præfatum fratrem N. ſolum & inſolidum & in euentum abſentię vel alicuius impedimenti ipſius N. prędictum N. ſimiliter ſolum & in ſolidum, & data abſentia vel alio impedimento tam N. quã N. fratrem N. principaliter & in ſolidum ad comparendum pro nobis & nomine noſtro coram Illuſtriſs. Domino Magno Magiſtro, & generali Capitulo in noſtro conueutu proxime celebrando, & in eo intereſſen. & interueniendum, & vices noſtras gerendum ſpecialiter & expreſſe ad conſentiendum, acquieſcendum, & aſſenſum liberum & voluntarium præſtandum omnibus, & quibuſcunque decretis, conſtitutionibus, ſtatutis, deliberationibus, & ordinationibus dicti generalis capituli, & Reuerendorum dominorum ſexdecim capitularium, & generaliter omnia alia & ſingula faciendum, procurandum & exercendum, quæ in prædictis, & circa prædicta neceſſaria & opportuna quomodolibet fuerint, & quæ nos ipſi faceremus aut facere poſſemus, vel etiam deberemus ſi præſentes in dicto capitulo adeſſemus; etiam ſi talia forent quæ ſpecialius mandatum exigerent vel magis generale quam præſentibus ſit expreſſum. Promittentes bona fide habituros nos ratum & gratum, & integre obſeruaturos quicquid per eos aut aliquẽ ex eis modo, forma, & ordine in rebus ſupraſcriptis actum, geſtum, factum, & procuratum fuerit. In cuius rei fidem præſentes literas manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigillo noſtro muniri fecimus. Datum, &c.

IDEM MAGISTER.

## FORMVLA LITERARVM PROCVRAtoriarum commendatariorum prioratuum.

IX. NOS N.N. Commendatarij in Prioratu N. vna cum Reuerendo Domino fratre N. Priore dicti Prioratus, ad celebrandum capitulum noſtrum prouinciale vel aſſembleam congregati; Notum facimus quod, &c. In cuius rei fidem præſentes literas manu Secretarij vel Notarij, & ſigillo ipſius capituli ſubſcribi & muniri fecimus.

Si per aſſembleam fieret procuratorium & non haberent copiam ſigilli Prioratus aut in eo prioratu ſigillo vti ſolitum non eſſet, tunc commendatarij qui in aſſemblea aut prioratu adeſſent procuratorium manibus ſuis vel ſecretarij capituli, aut alterius notarij ſubſcribi faciant & ſigillis ſuis vel duorum aut trium ex ipſis ſigillabunt.

## QVOD IS EX XVI. DE CVIVS NEGOTIO *tractatur in illius deliberatione non aſſiſtat.*

### F. PETRVS DAVBVSSON.

A Ratione abſonum videtur, vt quis ſimul & ſemel in aliquo negotio particulari deliberando ſit pars & iudex. Ideo ſtatuimus, quod quotieſcunque euenerit, vt proponatur aliquod negotium conſultandum & definiēdum inter venerandos xvj. capitulares tangens particularitatē alicuius in ipſorum conclaui incorporati, qui ſe pro parte formata geſſerit, in tali conſultatione & deliberatione tantum à ceteris excludatur, & nihilominus quod per reliquos conſultatum & concluſum fuerit robur & vim xvj. capitularium ſecundum tenorem ſtatuti habeat & obtineat, & ei contradici non liceat. X.

## SI QVIS EX XVI. CAPITVLARIBVS *morbo grauari vel aliquo legitimo impedimanto detineri contigerit, alius eligatur.*

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

STatuimus, vt ſi contigerit aliquem ex ſexdecim capitularibus morbo grauari, vel aliquo legitimo impedimento detineri, ita ut non poſſit interuenire cum reliquis in conclaui ad negotia, & res pertractandas & finiendas, Magiſter, vocatis coram ſe & capitulo capitulātibus linguæ cuius fuerit ęgrotus vel impeditus, & præſtito iterum per eos iuramento, vt moris eſt, iubeat eos congregari ad alium nominandum & eligendum, qui electus iuramentum præſtet & compromittat ſicut ceteri præſtiterunt & compromiſerunt. XI.

## DE MODERATIONE XVI. *Capitularium.*

### F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

CVM interdum aliquis ex ſexdecim capitularibus non ſatis modeſte ſe gerens ſuffragium ferre ſuper re à præſidēte propoſita renuerit, ita vt conclaue perturbauerit, quo fit, vt in rebus maximis, quæ ad communem vtilitatem pertinent non leue detrimentum accidere poſſet. Statuimus, vt ſi quis ex ſexdecim viris eo temeritatis forte proceſſerit, vt ſua ſponte è congregatione in qua ſtatus & dignitas totius ordinis conſiſtit ad ea de quibus tractantur perturbanda exire tentauerit aut ſuffragari quouis modo recuſauerit, & à dicto præſidente admonitus in ſua temeritate pertinaciter perſeuerauerit, ſi Prior, Baiuliuus, Commendatarius fuerit, eo ipſo, fructibus annorum trium Prioratus, Baiuliuatus, aut commendæ quam & quem XII.

poſſidet

poſſidet communi ærario applicandis priuetur; ſi frater conuentualis tres annos antianitatis perdat;& illico è conclaui excludatur ac in eius locum alius eligatur ea forma qua per ſupradictum ſtatutum ordinatum eſt: qui excluſus ad capitulū generale, concilium,& alias congregationes interueniendum, necnon nouiter ad dignitates alias promouendum vel eligendum inhabilis reddatur & declaretur.

## QVOD NVLLI FRATRVM LICEAT APpellare vel proteſtari de his quæ per ſexdecim tractata & concluſa fuerint.

### F. BAPTISTA DE VRSINIS.

XIII. AD nonnullorum inſolentiam reprimendam, qui iudiciorum ſubterfugiunt diffinitiones, vt hos qui ius optimum fouent expenſis & laboribus defatigent: Imitati etiam maiorum inueteratas conſuetudines ſecundum quas ſexdecim uiratus capitulares, ideſt Domini ſexdecim capitulares, qui per capitulum iuramento adacti eliguntur, vt de rebus ordinis noſtri tamquam ſuprema auctoritate fungentes ordinent & diſponant. Nec enim pro veteri more alicui fratri ordinis noſtri dominorum ſexdecim, qui etiam poteſtatem, & vim compromiſſi habere dignoſcuntur, ſtatutis, ordinationibus, & ſentētijs refragari cōuenit, quinimo omnes his ordinationibus humiliter ceruices flectere ſolent: Attamen quidam iuramentum per eos preſtitum paruipendentes, plerumque contra hanc inſtitutionem agere ſatagunt in peſſimum exemplum & graue incommodum, niſi talium inſolentiæ leges & conſuetudines obijcerentur, ea propter temeritati contumacium obuiare cupiētes, Statuimus, cōſuetudinibus antiquis inherentes, quod nulli fratrum ordinis noſtri in capitulo generali incorporatorū, aut eorum qui in eo interſunt quocunque honore aut dignitate fungentium proteſtari, appellare, aut prouocare à dominis ſexdecim capitularibus, aut eorum ſtatutis, ſententijs, deliberationibus, & ordinationibus contradicere ſeu refragari quouis modo liceat. Qui contrafecerit ſi commendas vel beneficia poſſideat eis eo ipſo contrafaciendo priuatus cenſeatur: ſi vero conueutualis frater fuerit, antianitatem incontinenti perdat.

## QVOT DIES CAPITVLVM generale durare debeat.

### IDEM MAGISTER.

XIIII. INſtituimus, vt capitulum generale apertum durare intelligatur diebus quindecim non feriatis, in quibus res & negotia commodius tractari, & concludi poſſint. Poſtquam autem clauſum fuerit, ſecundum reſeruationem dicti capituli aliquot diebus pro rerum exigentia deſignatis ac præfixis Magiſter & concilium completum quæ in dicto capitulo propoſita fuerunt, & nondū deliberata concludant & exequantur.

## *QVI TENEANTVR ACCEDERE AD Capitulum prouinciale.*

F. CLAVDIVS DELA SENGLE.

OMnes & ſinguli Baiuliui & cōmendatarij in prouincijs degentes ad capitulum prouinciale ſui Prioratus quolibet anno accedere tenentur. Qui contrafecerit duplicem reſpōſionem cōmuni ærario ſoluat: niſi iuſto aliquo impedimento detineretur, quod capitulo prouinciali per ſuum procuratorē ſignificare tenebitur, in quo quidē capitulo Prior adeſſe ſub eadē pœna debeat. XV.

## *DE MODERATIONE CAPITVLANTIVM.*

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, vt Priores, Caſtellanus empoſtæ, commendatarij & fratres cuiusuis gradus fuerint in capitulis prouincialibus & aſſembleis maturitatem, grauitatē, temperantiam, ac modeſtiam ſeruare debeant, quatenus vnusquiſque pro ſua qualitate & gradu loquatur, opinetur, ac ſuum votum & ſuffragium emittat, reiectis contumelijs, iniurijs, conuicijs, & geſtis, indecentibus quinimo intendant pacifice ad honorem & commodum religionis. Qui contrafecerit quarantenæ pœnam ſubeat. XVI.

## *PRIORES IN CAPITVLIS PROVINCIAlibus nulli particulariter fauorem præbeant.*

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

INhibemus Prioribus, & Caſtellano empoſtæ, ne in capitulis ſeu aſſembleis prouincialibus in fratris abſentis vel præſentis, fauorem, aut odiū procurent, loquātur, aut inſiſtant; quinimo quiete & attente negotia intelligāt & pro rectitudine diiudicent nec verbo aut facto iura cuiuſpiā perturbēt. XVII.

## *QVOD REGVLA ET STATVTA LEgantur in capitulis prouincialibus.*

F. CLAVDIVS DELA SENGLE.

NIhil eſt quod maius dedecus & damnum afferat quam ignorantia ſtatutorum & conſuetudinum ordinis quibus religio gubernatur, regitur, & adminiſtratur vbi potiſſime ignorantia craſſa & affectata eſſe dignoſcitur, quibus ex cauſis plerunque plura committuntur religioni incōmoda. Idcirco ſuper his prouidere cupientes, & ne de cætero ignorantia prætendatur; Statuimus, quòd ſtatuta quorū ſeries ſequitur ſub bulla cōmuni plumbea mittuntur ad omnes & ſingulos Prioratus, præſententurq. auctoritate noſtra Prioribus & Caſtellano empoſtæ, receptoribusq. cōmunis ærarij. Quibus præcipimus & mandamus in vim obedientiæ iniungentes, vt in quolibet capitulo prouinciali antequam ad aliquos actus capitulares procedant, miſſa Spiritus ſancti celebrata, & lecta regula ad omnium intelligentiam legantur publica voce & à quibusuis obſeruentur, ſi autem Priores & Caſtellanus empoſtæ, & receptores id facere contempſerint, aut neglexerint eò ipſo pœnam incurrant inobedientiæ. XVIII.

### *De Regula.*

Regula Hoſpitalariorum & militiæ ordinis ſancti Ioannis Baptiſtæ Hieroſolymitani de pœna tranſgreſſionis regulæ.

### *De communi ærario.*

De oneribus communis ærarij,& de legibus ſuper id condendis.
Quòd omnes teneantur ad ſolutionem iurium communis ærarij.
Quòd iura communis ærarij integre ſoluantur,non obſtante quouis caſu vel impedimento.
De iuribus mortuarij & vacantis communi noſtro ærario ſoluendis.
De oneribus ſoluendis per poſſeſſores membrorum, cum tribus ſequentibus.
De iure paſſagij ſoluendi per fratres.
Quo tempore iura communis ærarij ſolui debent, & de pœna non ſoluentium.
De debitoribus noſtri communis ærarij, cum ſequenti.
Quod bona fratrum decedentium ad ærarium perueniant,cũ tribus ſequentibus.
De officio receptorum & procuratorum noſtri communis ærarij extra conuentũ, cum tribus ſequentibus.
Contra receptores negligentes in exigendis debitis.

### *De Capitulo.*

Qui teneantur accedere ad capitulum prouinciale.

### *De Prioribus.*

De iuriſdictione Priorum.
De ſigillis Priorum, cum ſequenti.

### *De officio Fratrum.*

De cuſtodia fortaliciorum, cum ſequenti.

### *De Commendis.*

De reſignationibus, cum ſequenti.
Quòd non dentur membra aut prædia ſæcularibus.
Quòd fratres non impetrent commendas, aut beneficia extra ordinẽ noſtrum.
Quòd ſæculares non deputentur ad regimen commendarum.

### *De Viſitationibus.*

De viſitatione commendarum, cum duobus ſequentibus.

### *De Contractibus & alienationibus.*

Quòd bona ordinis non alienentur.
Quòd nullus frater impignoret aut obliget bona ordinis noſtri cum ſequenti.
Quòd in capitulis ſeu aſſembleis prouincialibus non tractetur de alienatione bonorum noſtri ordinis, cum ſequenti.
Quòd fratres non alienent bona acquiſita.

### *De Locationibus.*

Quòd locatio mortuarij & vacantis fiat in capitulo prouinciali.
Quòd durante mortuario & vacante non fiant reparationes.

### *De prohibitionibus & pœnis.*

Ne fratres occupent commendas.
Ne fratres impetrent literas cõmendatitias pro obtinẽdis cõmendis cũ ſequenti.
Ne quis apponat manum iuribus ærarij.
De obedientia.
De malis adminiſtratoribus.


IN HOC VINCES
SILEAT FIGVRA IVDICII
LOQVATVR IVSTITIA.

# DE CONCILIO ET IVDICIIS.

## TITVLVS SEPTIMVS.

### *FORMA QVÆ IN IVDICIIS ORDINIS noſtri ſeruatur.*

CONSVETVDO.

QVONIAM fratres noſtri Hoſpitalitatis & armorũ exer- I.
citio potius quam iudicijs animum intendere debent. Mos eſt nobis antiquus à maioribus noſtris relictus, vt in cauſis quæ inter fratres noſtros oriũtur, ſummatim & ſine aliqua forma iudicij verbo tantum & non ſcripto procedatur, ideſt, quod nulla cauſę acta ſcribantur: ſed partes ipſę ſua iura voce propria deducunt, & allegant, ſuper quarum nudo ſermone iuſtitia adminiſtratur. Poſſunt tamen ad probanda iura ſua literas antea confectas producere, veluti prouiſiones, teſtificationes, & alia huiuſmodi; Teſtes quoque afferre poſſunt qui à concilio vel à commiſſarijs ab eo deputatis audiuntur; quorum dicta, ſi res ita poſtulauerit, ſcribuntur.

### *QVI IN CONCILIIS ORDINIS noſtri interuenire debent.*

CONSVETVDO.

DVplex habemus concilium, ordinarium videlicet & completum. In ordi-
nario interueniunt Magiſter & Locumtenens Magiſtri ſeu Magiſterij; Si II.
quis erit, Epiſcopus Melitenſis qui nuper introductus eſt. Prior eccleſiæ & octo Baiuliui conuentuales ſeu eorum locatenentes. Pręterea Priores prouinciarum: Baiuliui per capitulum qui in conuentu degent, Theſaurarius ſiue eius locumtenens: Et ſeneſcallus Magiſtri qui non habet ſuffragium. In concilio completo præter ſupradictos, qui etiam adſunt; adhibentur alij duo fratres ex qualibet lingua. In vtroque interuenit vicecancellarius. Soli tamen octo Baiuliui Conuentuales aut eorum locatenentes neceſſario intereſſe debent, ſine quibus concilium haberi non poteſt. Alijs vocatis & non venientibus ſoli octo Baiuliui conuentuales aut eorum locatenentes concilium tenere & de omnibus rebus ad illud pertinentibus determinare poſſunt. Concilium tamen ſine Magiſtro vel eius licentia haberi non poteſt.

## FORMA IVRAMENTI ADMITtendorum in concilium.

### F. BAPTISTA DE VRSINIS.

III. NVllus admittatur in concilium niſi prius in manibus Magiſtri ſolemniter iurauerit quod tractata vel decreta & concluſa in ipſo concilio cuiquam non reuelabit: nec amore, odio, aut præcio ſententiam feret: Pręterea quod ſtatuta & conſuetudines ordinis noſtri tàm in iudicijs quam in publicis negocijs ſincere & fideliter obſeruabit. Qui contra fecerit ſit inhabilis ad obtinendas adminiſtrationes & officia noſtri ordinis, & pro periuro habeatur, & ſententiæ ſic latę nulle cenſeantur.

### F. PETRVS DE MONTE.

IIII. STatuimus, vt quando aliquis ordinariorum à concilijs fuerit abſens, vel ſuſpectus habebitur, eius loco alius admittatur, qui iuramentum iuxta formam pręcedentis ſtatuti præſtare teneatur. Decernentes quod poſt relationem commiſſariorum factam, & diſceptationem litigantium, nemo conſiliariorum pro ſuſpecto allegari poſſit.

### F. PETRVS RAYMVNDVS ZACHOSTA.

V. PRohibemus, ne aliquis frater ordinis noſtri cuiuſuis conditionis fuerit citetur, niſi per Magiſtrum & concilium ordinarium deliberetur an ſit citandus.

## DE MODERATIONE CONSILIARIORVM.

### F. BAPTISTA DE VRSINIS.

VI. VT maturius res & negocia in concilijs agantur, tractetur, & deliberentur: ſtatuimus, quod Magiſter Baiuliui, Priores, & Caſtellanus empoſtę, & qui concilijs interſunt cum ſilentio partes coram ipſis diſceptantes earumq. rationes & allegationes inteligant, & abſque alia vocis aut ſermonis interruptione audiant, ne fauor alicui partium dari dignoſcatur; quinimmo ęqualitas erga quęlibet eſſe uideatur. Quod ſi aliquis prefatorũ contrafecerit, pars quæ in hoc ſe lęſam ſenſerit contra facientẽ ſiue Magiſtrũ ſiue alium pro ſuſpecto allegare poſſit, qui tunc non reddita ſuſpicionis alia cauſaà c oncilio illico diſcedat.

## QVOT CAVSÆ IN CONCILIIS PROponi poſſunt.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

VII. EXpeditioni cauſarum conſulere volentes, ſtatuimus, vt in vnoquoque concilio tres tantum cauſæ proponantur, & teneantur partes antequam ad concilium accedant, venire in cancellariam & ibi nomina ſua & cau-

ſe rationem inſcribi facere: quæ poſtea in concilio per vicecancellarium vocabuntur iuxta ordinem ab eo ſcriptum. In numero cauſarum non comprehenduntur petitiones commiſſariorum.

## QVOMODO TESTES EXAMINANTVR.

### IDEM MAGISTER.

STatuimus, quod teſtes hic in conuentu producti coram partibus iuramentum præſtare teneantur, & in earum abſentia examinentur. Qui quidem teſtes diuiſim interrogabuntur ſuper re de qua fuerit quæſtio; qui autẽ illos examinabunt, diligenter eos interrogabunt de loco, tempore, & ſcientia, & quomodo res de qua agitur acciderit; quæ quidem dicta teſtium ſi neceſſe fuerit, ſcribantur. VIII.

## IN DISCEPTATIONE CAVSARVM *comipareant tantum duo procuratores.*

### F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

AD euitandas confuſiones & iudiciorum prolixitatẽ, ſtatuimus, quod quandocunque erunt differentiæ inter fratres aut linguas ſeu priores & Caſtellanũ empoſtæ, pro quibus differentijs diſcutiendis & decidendis debeant comparere procuratores coram concilio, ſgardio vel commiſſarijs: non debeant nec poſſint coram prędictis comparere, niſi duo procuratores tantum pro qualibet parte, & quod vnus illorum loquatur cum informatione quam habebit, veniantque cum decenti habitu longo & ſine armis. Qui contrafecerint, plectantur pœna quarantenæ, quam obſeruent ſedendo & comedendo. IX.

### F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

OPtima ratione ſuaſi, ſancimus, quòd ſecularis perſona non aſſiſtat in concilio ordinis noſtri X.

## QVOD FRATER PRO FRATRE IN *conuentu præſente non procuret.*

### F. IOANNES FERDINANDVS DE HEREDIA.

QVia ad ſubmouendas lites & differentiarum prolixitates iudicia in noſtro ordine ex veteri conſuetudine ſummaria cenſentur, ne fratres noſtri litibus implicili ab armorum exercitio ſtudium retrahant. Idcirco prohibemus ſub pœna quarantenæ quod frater nomine alterius fratris in conuentu præſentis non procuret niſi morbo implicitus eſſet propter quod comparere non poſſet. Si autem pro fratre abſente procurauerit, XI.

procuratione ſufficiente ad id agendum exhibere teneatur. De cuius ſufficientia per ſuperiorem dignoſcatur. Fratres autem Angli & Alemani ſi aliud idioma in conuentu vulgatum præter maternum ignorauerint, præſentes etiam procuratores habere poterunt.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXV. SI vero linguæ vitio aut alio impedimento quis explicandis ſuis rationibus aptus eſſe non videretur, per procuratorem agere ei licebit: quod Magiſtri & concilij iudicio relinquimus.

## QVOD BAIVLIVI ET PRIORES POSſint habere procuratores.

F. PETRVS DAVBVSSON.

XXVI. STatuimus, quod quandocunque inter Baiuliuos capitulares aut conuentuales, Priores & Caſtellanum empoſte ex vna, & commendatarios ac fratres conuentuales partibus ex altera differentia vertitur, in quocumque iudicio exiſtat, Baiuliui & Priores ipſi ad dictam litem procuratores inſtituere poſſunt, qui ſuo nomine contra commendatarios & fratres conuentuales coram iudicibus iura ſua defendant.

## QVOD NEMO EXTRANEVS ORDINI noſtro admittatur ad procurandum in iudicijs ordinis noſtri pro religioſis.

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

XXVII. NE iudicia ordinis noſtri quæ ſummaria eſſe debent falſis interprætationibus, argumentis & cautelis ſubuertantur & prorogētur, Statuimus, quod ſeculares perſonæ ſeu alterius ordinis regulares cuiuſcumque gradus vel qualitatis admitti non poſſint ad agendum & procurandum pro Baiuliuis, Prioribus & alijs religioſis noſtris coram Magiſtro & concilijs ac generali capitulo, nec in iudicio ſgardiorum vel ab ipſis aut Priore eccleſię vel mareſcallo conuentus noſtri commiſſis & deputatis. Per hęc tamen non intendimus derogare conſuetudini quę permittit perſonis ſęcularibus defenſionem cauſarum ſuarum in capitulis noſtris prouincialibus ac alijs iudicijs.

## QVOD CAVSÆ MILITVM, CAPELLAnorum & ſeruientium per magiſtrum & concilium concludantur.

XXVIII. CVpidi erga fratres noſtros ęqua iuſtitię ſtatera procedere, & ne minor a maiori opprimatur, ſed vnicuique iuſtitię ęqualitas appareat; Ideo omnes differentias, quas ratione cabimenti vel melioramenti oriri

conti-

contigerit inter fratres milites ex vna, ac fratres capellanos vel armorum ſeruientes partibus ex altera, Magiſtro & concilio decidendas reſeruamus: & eas ab ipſis decidi decernimus & volumus.

## DE MODO TRACTANDI in Concilijs.

### F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, quòd in concilijs quando de aliqua re agi oportet, antequam ad ſuffragia danda deueniatur eo de quo deliberari debeat in medium propoſito, quilibet conſiliarius ordine non ſeruato pro ſuo arbitrio allegare, dicere, proponere quod ad rem pertineat omni ſemota reprehenſione valeat, & cum res peroptime diſcuſſæ & agitatæ fuerint, quot opiniones reperientur per ſuffragium ballotarum ſcrutinium recipiant: & pars quę plures ballottas obtinebit pro ſe ſententiam & concluſionem habuiſſe cenſeatur, ſtatuentes, quòd omnes res & negotia cuiuſcunq. naturæ fuerint etiam cauſæ criminales, quæ per concilia tractantur, aut deliberantur per ſcrutinium ballottarum concludantur, alias deliberationes nullę cenſeantur. XVI.

### F. IOANNES DE HOMEDES.

IDem obſeruari volumus in capitulis Prouincialibus, & aſſembleis, quod ſecus actum fuerit ſit irritum & inane. XVII.

## DE MODO ET ORDINE Ballotandi.

### IDEM MAGISTER.

MAiores noſtri maxime intereſſe reipublicæ exiſtimauerunt, vt libera eſſent iudicia, & ſuffragia quam occultiſſima. Ideo vſum ballotandi inuenerūt: ſed quia nihil ſcriptis mandatum eſt, placuit nobis paucis verbis perſtringere. Quare ſtatuimus, vt quandocunque duo vel plures fuerint competitores dignitatis vel officij pro omnibus ſimul in ſuffragia eatur ordine antianitatis: niſi aliquis eorum ſit ex primatibus noſtri ordinis, quos magnæ crucis appellamus, nam pro eo primo in ſuffragia eundum erit hac forma. Poſt iuramentum præſtitum ſtatutis ordinatum, Vicecancellarius tot vrnas quot fuerint cōpetitores adhibeat primum Magiſtro, poſtea cuique conſiliario quo ſederit ordine: vt in quam voluerit pixidem calculum ſeu ballottam mittat. Quo peracto calculi palam numerentur, & is qui plures ballottas vel ſuffragia habuerit, pronuntiatur electus à Vicecācellario. At ſi ad æquilibrium ſuffragiorum venerint, tunc antianior in religione electus promulgetur: niſi filius arnaldus fuerit magnę crucis, nam ille electus promulgabitur; vel ſi fuerit eiuſdem paſſagij ad cōcilium cōpletum remittetur electio. In alijs vero controuerſijs ſi ad æqualitatem calculorum deuentum erit res ipſa decidenda & definienda ad idem concilium completum abſque alia appellatione deducatur. XVIII.

F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

XIX. SAncimus, conſuetudinem & vſum ſtatuto ſcripto præualere non poſſe: vbi vero non fuerit ſtatutum ſcriptum vſus & conſuetudo militet.

## DE APPELLATIONIBVS.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XX. A Decretis capituli generalis, quod eſt ſummum & ſupremum ordinis noſtri iudicium, nulli fratrum noſtrorum liceat appellare. In cauſis item criminalibus non appellatur aut ſi de correctione regulari agatur. Nec etiam ab electione fratrum & commendatariorum in Baiuliuos magnæ crucis; a promotione tamen poteſt appellari, ideſt, a translatione Baiuliuorum ad alias dignitates. In creationibus quoque officialium appellatio locum non habet, nec à decreto quo commiſſarij deputantur; à declaratione quoque ſuper ſuſpitione commiſſariorum, aut conſiliariorum non datur appellatio. Nec ab executione, aut mandato exequendi: neque à ſententijs capitulorum prouincialium, quæ ſummam ſcutorum centum non excedant, & id inter fratres: ſed in cauſis vertẽtibus inter fratres & laicos pro quacunque ſumma re & negocio, non liceat fratri à ſententia capituli prouincialis appellare. In alijs autem caſibus & controuerſijs omnibus liberum cuique eſto appellare. Incidentes autem & emergentes in controuerſijs caſus omnes iudicabuntur per commiſſarios ad id deputatos, à quibus ad eos, à quibus fuerint deputati, appellari poterit: A quorum ſentẽtia ſuper iſtiuſmodi appellationibus lata nulli appellare licebit. A ſententijs tamen, quos delobia vocant, latis a ſcutis decem infra incluſiue appellatio non admittatur, a ſcutis vero decem ſupra, ſi controuerſia fuerit inter fratrem & fratrem ad concilium ordinarium, ſi inter fratrem & laicum, quicunque illorum ſit actor vel reus ad audientiam appelletur, & ſententiæ per dictam audientiam ſeu conciliũ vel compromiſſarios in dictis cauſis appellationis deputatos exequantur, nulla ad aliud tribunal admiſſa appellatione.

## INTRA QVOD TEMPVS *appellandum eſt.*

IDEM MAGISTER.

XXI. INtra decimum diem à publicata & pronuntiata ſententia appellandum eſt, ſi in cõuentu feratur: ſi vero extra, intra idẽ tempus, dũmodo pars fuerit præſens aut eius procurator: quòd ſi non adfuerint numerantur à die quo de ſententia factus fuerit certior; aliter illi conſenſiſſe intelligitur. A ſententia autem ſuper incidentibus à commiſſarijs lata eodem vel poſtero die appellandum erit.

## DE ORDINE APPELLATIONVM.

### IDEM MAGISTER.

A Priore autem & aſſemblea & à Priore ſolo appellatur ad capitulum prouinciale, & inde ad conciliũ ordinarium: quod ſi cauſa in capitulo prouinciali initium habuerit, ab eo ad concilium ordinarium, & deinde ad completum: ita tamen quod ſi capitulum prouinciale confirmauerit ſententiam aſſembleæ vel Prioris, aut concilium ordinarium ſententiam capituli prouincialis, ſi in eo lis cœpta fuerit, talis ſententia executioni mandabitur, non obſtante appellatione: Si verò lis coram concilio ordinario inchoata fuerit ab eo appellabitur ad completum: & inde ad capitulum generale: verum quod per concilium completum fuerit iudicatum etiam ſi ad capitulum generale fuerit appellatum, exequendum erit. XX.

## DE TEMPORE PROSEQVENDÆ *& finiendæ appellationis.*

### IDEM MAGISTER.

SI à Priore & aſſemblea vel à Priore ſolo ad capitulum prouinciale fuerit appellatum, tenetur appellans in proxime ſequenti capitulo appellationem ſuam proſequi & finire. Quòd ſi non fecerit nullo legitimo impedimento prohibitus appellatio, ipſa deſerta cẽſeatur; Si vero à capitulo prouinciali ad concilium ordinarium, datur illi annus, & ex iuxta cauſa biennium ad cauſam proſequendam & finiendam: ſi à concilio ordinario ad completum, conceduntur quatuor mẽſes à die appellationis numerandos: ſi à concilio completo ad capitulum generale in proximo capitulo proſequi & diffiniri procuret. Aliter vt ſupradictum eſt pro deſerta habeatur. Appellatio autem à ſententia ſuper incidentibus à commiſſarijs lata intra decimum diem ab ea interiecta proſequenda & finienda eſt. XXI.

## DE APPELLATIONIBVS FRATRVM *Capellanorum obedientiæ & ſeruientium officij extra conuentum.*

### IDEM MAGISTER.

LIberum erit fratribus capellanis obedientiæ & ſeruientibus officij vel ſtagij, ſi à ſuo Priore, vel commendatario cuius obedientiæ ſuppoſiti ſunt grauati fuerint, ad priorem & aſſembleam vel ad prouinciale capitulum appellare; per quòd etiam decidentur controuerſiæ, quæ inter dictos fratres obedientiæ, officij vel ſtagij, & priores vel commendatarios oriri contigerit. XXII.

## QVOD SENTENTIÆ SCRIBANTVR & publicentur.

### IDEM MAGISTER.

XXV.

STatuimus, quòd decreta & ſententiæ capitulorum generalium concilio-rum & Sgardiorum in conuentu ſcribantur per Vicecancellarium; capitulorum autem prouincialium, & aſſemblearum per ſecretarium, & per eos publicentur & pronuntientur, & fiant de eis libri & regiſtra.

## DE MODERATIONE FRATRVM in congregationibus linguarum.

XXVI.

### F. PETRVS DAVBVSSON.

QVoniam plerunque contingit contra omnem modeſtiam, honeſtatem & reuerentiam veræ illibatæq. obedientiæ, quòd fratres in congregationibus linguarum vtuntur geſtis & actis indecedentibus nulla reuerentia in Baiuliuos & ſuperiores ſeruata. Quinimo deliberationes & conſultationes in dedecus ordinis & præiudicium pnblici commodi perturbant, ea propter; Statuimus, quòd Baiuliui, Priores, commendatarij, & fratres cuiuſcunque conditionis fuerint in congregationibus linguarum in conuentu debeant vti modeſtia, & temperantia in ſedendo ſecundum eorum ordinem & gradum audientes Baiuliuos vel eorum locatenentes in his quæ proponunt etiam procuratores tam dictæ linguæ fratres quàm alterius, aut partes in cauſarum diſceptatione, ita quod nõ dent eis moleſtiam, vel aliquam perturbationem: & ita cum maturitate & quiete intellectis propoſitis, ac differentijs debeant pro eorum ordine & gradu dare ſuffragium & loqui, lingua quoque compleat ſuam deliberationem. Cui ſi quis cõtradixerit, aut propterea ſe ſenſerit grauatũ ab illa deliberatione ad Magiſtrum & concilium ordinarium habeat recurſum coram quibus ſua iura allegabit. Iuſtitia quoque partibus auditis miniſtrabitur: qui contrafecerit in pœnam quarantenæ labatur.

## DE VSV BALLOTTARVM in Linguis.

XXVII.

### F. CLAVDIVS DELA SENGLE.

VT liberius fratres noſtri ſuffragia, & vota ſua in linguis dare poſſint: Statuimus, quòd quandocunque in dictis linguis, aut Prioratibus tractari contingет de gratijs faciendis aut de nominandis fratribus ad Baiuliuatus & dignitates debeant vti ballottis; prout in concilio fieri ſolitum eſt, gratia autem facta non cenſetur niſi concordi omnium fratrum voto facta fuerit.

F. PE-

F. PETRVS DE MONTE.

SAncimus, quod nullus frater qui per annos tres continuos, aut per interualla in conuentu non reſederit, ſuffragium in linguis, exceptis fratribus Reuerend. linguæ Angliæ, & Alemaniæ, ferre poſſit. XXVIII.

## DE COLLECTIS LINGVARVM.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, antiquam & veterem conſuetudinem ſequentes, quod in collectis Albergiarum per fratres tãtum deliberari & tractari poſſit de vineis, domibus, cameris & poſſeſſionibus Linguæ vel Albergię. Caueantq. fratres ſub inobedientiæ pœna, ne in dictis collectis tractare aut concludere de rebus quæ quouis modo ordinis Rempublicam concernant, aut aliquod arduum vltra antiquam conſuetudinem audeant vel præſumant. Quod ſi contrafecerint nullius valoris cenſeatur, pœnamq. inobedientiæ incurrant. XXIX.

## DE EODEM.

F. FABRITIVS DE CARRETO. XXX.

QVia bonum vniuerſale totis viribus promouendum eſt, Statuimus, quod quandocunque in congregatione cuiuſlibet linguæ ſiue collectę diſceptabitur de ædificatione, vel inſtauratione domorum ſiue camerarum, & cultiuatione ſiue directione vinearum & aliarum poſſeſſionum ſtabilium linguarum, & duæ partes fratrum dictæ linguę deuenerint concordes in vnam ſententiã, eadem mandetur executioni, quam tertia pars diſſentiens non poſſit impedire. cætera autem negocia dictarum linguarum remanent intacta in ſua antiqua conſuetudine & robore.

## DE LICENTIA BAIVLIVORVM ET *Priorum recedendi à conuentu.*

F. RAYMVNDVS ZACOSTA. XXXI.

STatuimus, quod Magiſter non poſſit dare licentiam recedendi de conuentu Baiuliuis capitularibus & cõuentualibus, Prioribus, & Caſtellano emposte, ſine ſcitu & cõſenſu Concilij completi, ita quod tres partes in vna opinione concordent, alias deliberatio, ſit nulla: & ſi Magiſter contrafecerit licentia nulla ſit: & nihilominus contra eos qui vigore talis licentię receſſiſſent, procedatur tamquam contra eos qui ſine licentia de conuentu recedere præſumunt.

F. PETRVS DAVBVSSON.

ATtamen Magiſtro & concilio ordinario pro negocijs publicis ordinis noſtri aliquem ex prędictis deſtinare ad partes occiduas ſeu extra conuentum liceat. XXXII.

## DE LITERIS EXPEDIENDIS PER *Magiſtrum, & Concilium.*

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

XXXIII. Statuimus, quòd literæ ſaluorum conductorum, licentiarum recedendi de conuentu, inſtructiones, literæ miſſiuæ, aut aliæ patentes, quæ per Magiſtrum & Concilium ordinarium ſiue completum deliberantur & conceduntur, per Vicecancellarium tantum expediãtur, manu propria ab eo ſignentur, ac in cancellaria, ſaluo Vicecancellarij iure, regiſtrentur, alias concilij authoritatem non habeant.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXXIIII. Volumus & mandamus, quod omnes literæ ſupradictæ Magno ſigillo Magiſtri in cæra nigra ſigillentur.

## DE AVDIENTIA PVBLICA.

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

XXXV. Laudabili inſtitutione ſancitũ eſt quod qualibet hebdomada die veneris audientia publica celebretur; in qua aſſiſtant Magiſter ſeu eius Locumtenens, Baiuliui conuentuales, & per Capitulum Priores, Caſtellanus empoſtæ & cęteri qui adeſſe ſolent in concilio ordinario. Præterea Caſtellanus, Iudices appellationum, & Ordinarius, & Vicecancellarius; vbi ſæcularium quærelę & ſupplicationes quarumcumque legantur & audiantur, & ſecundum caſuũ emergentiam, meritis cauſarum ſapienter diſcuſſis, ſuper his prouideatur, vt quęrelarum materia prorſus extinguatur, & cuique ius ſuum tribuatur.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXXVI. Capitaneus & Iudex ciuitatis noſtrę, & Magiſter notarius caſtellanię in audientia adeſſe ſolent. Licitum eſt etiam Magiſtro & concilio ad illam vocare aliquos probos viros iuris peritos, prout eis neceſſarium videbitur.

## DE OFFICIALIBVS SYNDICANDIS.

IDEM MAGISTER.

XXXVII. Æquum eſt vt vnuſquiſq. actionum ſuarum rationem reddat. Statuimus quod Caſtellanus, Vicecaſtellanus, Iudex appellationum, & Ordinarius, Capitaneus, Iurati, Iudex, & omnes & ſinguli officiales ciuitatis noſtræ ſoliti ſyndicari, debeant ſyndicari per duos Commiſſarios vnum religioſum, & alium literatum per Magiſtrum & Concilium ordinarium, poſtquam officio functi & alij in eorum loco ſuffecti fuerint, eligendos, prout hactenus conſuetum eſt; vt, ſi qui deliquerint, puniantur.

DE

## DE BVLLA MAGISTRI ET *Conuentus*.

F. NICOLAVS LORGVE.

AD deliberatorum exploratam indubitatamq. notitiam non immerito ſigillorum ac bullarum impreſſiones cuneiq. inuenti ſunt. Hinc firma ſanctione decretum eſt vt duo cunei ferrei fabricentur quibus Magiſtri & Baiuliuorum imagines ſculpantur, & his tanquam bulla conuentuali conuentus vtatur, Hac bulla omnes & ſingulæ conceſſiones, procurationes, permutationes, obligationes, prouiſiones & cætera quę per deliberationem Magiſtri & conuentus, ſeu concilium & generale capitulum expediuntur, & quę ſub bulla plumbea communi expediri conſueuerunt muniantur & bullentur. XXXVIII.

## QVOD PROCVRATORES COMMVNIS *ærarij in cauſis ad id ſpectantibus non excludantur*.

SAncimus, quod in cognitione & deciſione cauſarum communis ærarij excludi non poſſint venerabiles magnus commendatarius & procuratores dicti ęrarij qui pro inueterata conſuetudine intereſſe ſolent: quia priuatas earum cauſas non agunt, ſed communes. XXXIX

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ITa tamen quod inter litigandum non loquantur quod ad caſuam pertineat: ſed procuratorem deputent qui cauſam ipſam nomine ærarij agat & proſequatur. XL.

## QVOD FRATER FRATREM AD ALIVD *iudicium non trahat quam ordinis noſtri*:

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

ABſurdum & pænitus ab ordine noſtro alienum eſt, cui grauiſſimum plerumque attulit detrimentum, quod fratres noſtri fidei catholicę tuitioni aſcripti litibus implicentur, & iugo obedientiæ reiecto ſe ad aliud tribunal extra noſtrum ordinem conferant, ſtatutis enim & conſuetudinibus ſubiecti ſunt, quibus ſua iura defenduntur & iudicantur per ordinis noſtri iudicium nō dilatorium, quatenus cauſæ breuitate ſopiantur, & fratres noſtri litibus immunes armis exercendis liberius vacare poſſint. Prudenti igitur ſanctione ſtatutum eſt, quòd fratres noſtri quacumq. ex cauſa nullo pacto valeāt aut poſſint extra noſtrū ordinem coram quocunq. iudice eccleſiaſtico vel ſeculari fratres ordinis noſtri in cauſam trahere, & contra eos procedere, ſeu lites conteſtari, vel proceſſum conficere, declinando ab ordinis noſtris iudicio. Quod ſi quis contrafecerit antianitatem perdat, & per quinquennium omni adminiſtratione priuetur. XLI.

## F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XLII. PRæterea cauſam perdat. Qui vero à ſententijs noſtris extra conuentum aut noſtri ordinis iudices appellauerint, vel prouocauerint, etiam ſi appellationem vel prouocationem proſequuti non fuerint à cauſa ſua cadant & re de qua contenditur eo ipſo priuati exiſtant.

## F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

XLIII. VOlumus idem à fratribus capellanis obedientiæ obſeruari ſub pęna priuationis beneficiorum & rectoriarum ac portionum quas poſſident, nec non habitus ipſo facto incurrenda.

## *DE FERIIS.*

### *Feriæ quæ ſeruari debent in iudicis noſtræ religionis.*

*In Ianuario.*

Circuncisionis Domini.
Antonij Abbatis.
Fabiani & Sebaſtiani.
Conuerſionis ſancti Pauli.

*Februario.*

Purificationis Beatæ Mariæ.
Blaſij Epiſcopi & Martyris.
Agathæ virginis.
Dedicationis eccleſiæ S. Io. Baptiſtæ.
Cathedræ ſancti Petri.
Mathię Apoſtoli.

*Martio.*

Gregorij Papę.
Sancti Ioſeph.
Annunciationis B. Mariæ.

*Aprili.*

Georgij Martyris.
Marci Euangeliſtæ.

*Maio.*

Philippi & Iacobi Apoſtolorum.
Inuentionis ſanctæ Crucis.
S. Ioannis ante portam Latinam.

*Iunio.*

Barnabæ Apoſtoli.
Ioannis Baptiſtę cum tota octaua.
Petri & Pauli Apoſtolorum.
Commemoratio S. Pauli.

*Iulio.*

Viſitationis B. Mariæ.
Mariæ Magdalenæ.
Iacobi Apoſtoli.
Sanctę Annæ.

*Auguſto.*

Petri ad vincula.
Dominici confeſſoris.
Transfigurationis Domini.
Laurentij Martyris.
Aſſumptionis B. Marię.
Bartholomei Apoſtoli.
Auguſtini Epiſcopi.
Decollationis S. Ioannis Baptiſtę.

*Septem-*

*Septembri.*

Natiuitas B.Mariæ.
Exaltationis S. Crucis.
Matthęi Apoſtoli & Euangeliſtæ.
Michaelis Archangeli.
Hieronymi confeſſoris.

*Octobri.*

Franciſci confeſſoris.
Lucę Euangeliſtæ.
Simonis & Iudę.

*Nouembri.*

Omnium ſanctorum.
Commemorationis animarum.
Martini Epiſcopi.
Præſentationis B. Marię.
Catherinæ virginis.
Andreæ Apoſtoli.

*Decembri.*

Nicolai Epiſcopi.
Ambroſij Epiſcopi.
Conceptio B.Mariæ.
Lucię Virginis.
Thomæ Apoſtoli.

A vigilia natiuitatis Domini vſq. ad Diem Epiphaniæ cum duobus ſequẽtibus.

## FERIÆ MOBILES.

A Die Iouis ante carniſpriuium, vſque ad diem cinerum incluſiue.
A Die ſabbathi ante ramos vſq. ad octauam Paſchæ incluſiue.
Die Aſcenſionis Domini.
Die Pentecoſtes cum duobus ſequentibus.
Die Corporis Chriſti cum octaua incluſiue.


IN HOC
VINCES
IN ASPERIS MATVRE.

# DE SGARDIO.

## TITVLVS OCTAVVS.

### *FORMA TENENDI SGARDII.*

NE fratrum noſtrorum animi longis litibus implicti à ſuæ profeſſionis officio euocarentur: maiores noſtri breue quoddam & expeditum iudicij genus excogitarunt: quod Sgardium appellarunt. Id ita habetur. Aſſumuntur fratres octo ex ſingulis linguis ſinguli, quibus additur nonus ex qua libuerit lingua nullo delectu. Is caput ſeu præſes ſgardij vocatur & à Magiſtro aſſignatur, vel à mareſcallo: cum fratres ex eius ſunt iuriſdictione. Reliqui octo a Baiuliuis conuentualibus ad ſignificationem Magiſtri ſcutiferi nominantur, ita tamen quod Baiuliui linguarum de quibus partes diſceptantes fuerint, nullum alium nominent niſi eum in quem partes ſponte conſenſerint. Ab hoc ſgardio itur ad Refortium ſgardij, ac ſi diceret ad fortius ſgardium, duplicato ſcilicet Fratrum numero, vt ex qualibet lingua duo frtres interueniant. Ab eo deuenitur ad Renfortium Renfortij hoc eſt à forti ad fortius: vt ſint tres fratres ex vnaquaque lingua, remanente eodem capite ſeu præſide primum aſſignato. Quod ſi trium horum ſgardiorum ſententię partes ſtare noluerint, adhibetur ſgardium Baiuliuorum: quod ex octo Baiuliuis conuentualibus aut eorum vicegerentibus cõſtat. Ijs datur à Magiſtro alter pręſes ex Baiuliuis quiſpiam aut Prioribus, vel Prior eccleſiæ. Quod ſi præſes a Magiſtro datus fuerit Baiuliuus conuentualis, tũc in eius locum ad ſgardium ſubrogatur frater aliquis ex eadem lingua antianus. In hoc iudicio ſinguli vnico ſuffragio vtuntur præter præſidem ſgardij Baiuliuorum, cui duo conceduntur ad euitandam ſuffragiorum paritatem. Quod ſi in aliqua linguarum defuerint fratres ad id idonei, vel penitus nulli fuerint, ex alijs linguis implebitur numerus, vt ſint omnino octo in vnoquoque ſgardio. Pręterea ſi altera aut vtraque diſſidentium pars fuerit Baiuliuus aut Prior, eo caſu pręſes & caput omnium ſgardiorum erit Baiuliuus aut Prior. Vbi tandem partes coram ſgardio comparuerint interrogantur à pręſide: num quem ex eo numero ſuſpectũ habeant. Quibus reiectis, ſi qui fuerint, & alijs in eorum locum ſuffectis, ad cognitionem cauſæ proceditur, actore actionem ſuam proponente: etiam ſi reo petente ſgardium conceſſum eſſet: Que quidem cauſa plene & ſummatim tractabitur. Nã neque libellus vllus neque ſcripta petitio datur: ſed via ſua partes verbo proſequuntur. Teſtes tamen producuntur quorum dicta auribus tantum non autem ſcripto excipiuntur. Nec admittuntur procuratores, niſi pro ijs qui à conuentu ab I.

ſunt aut quibus per ſtatuta noſtra permittitur. Poſtquã vero partes ipſæ iura ſua coram ſgardio deduxerint, dimittuntur:& fratres ſgardij ſecedentes de tota cauſa inter ſe conferunt, remque accurate examinant. Tum demum afferuntur duæ pyxides ſiue vrnulæ affirmatiua ſcilicet & negatiua. Qui pro actore ſententiã ferre voluerint in affirmatiuam ſpherulam, quam balottam, ideſt, calculum dicimus, mittent. Qui pro Reo, in negatiuam. Hæc eſt ſuffragiorum dandorum ratio, in quibus dãdis gradus antianitatis vnicuique ſeruatur. Collectis ſpherulis aut balottis, priuſquam caput ſeu præſes ſgardij ſententiam ferat vocantur partes & rogantur: An ſgardij ſententię ſtare velint, nec ne? ſi conſenſerint, excluſis iterũ illis, caput ſgardij ſuffragium ſuũ dat iniecta balotta in pyxidẽ. De hinc pyxides coram ſgardio aperiuntur, & balottæ palam numerantur. Pro parte quæ plures habuerit ſtabit ſententia, ea per vicecancellarium ſcribitur & partibus pronunciatur. Quod ſi partes aut altera earum negauerit ſe id iudicium ſuſcipere velle, numeratis per vicecancellarium balottis & ſuffragijs, ſcriptis mandet quot quæq. pars balottas habuerit. Id ſcriptum apud ſgardij præſidem deponetur: vbi ſecretum permaneat & ad remphortium procedatur. Si neque hoc partes contentæ erunt, ad renfortium renfortij, & deinde ad ſgardium Baiuliuorum deueni tur vltra quod progredi non eſt. Cum autem renfortium renfortij Baiuliuorumq. ſgardium habetur, pręſes primi ſgardij cum aliquibus fratribus eorum qui in primis ſgardijs interfuerunt adeſſe debet, vt audiant an partes quicquam allegabunt, præter id quod in primis ſgardijs allegarunt: non enim eis licet quidpiam ad confirmandam ſuam cauſam adducere in hoc poſtremo iudicio quam id quod in primo ſgardio attulerunt & propoſuerunt. Etenim ipſum hoc cum Prioribus vnum & idem iudicium eſſe cenſetur. Partibus tandem quantum ſatis erit auditis, ſecedent primi ſgardij fratres præter præſidem qui in renfortio & renfortij, renfortio ſuum locum ſemper obtinet. Poſtremo cum ad ſententiam ſgardij Baiuliuorum ventum fuerit, Præſes primorum ſgardiorum ante præſidem ſgardii Baiuliuorum per balottam ſuffragium dabit. Apertis poſtea pyxidibus & numeratis balottis, præſes priorum ſgardiorum ipſorum ſuffragia ſcripta proferet aſtãtibus aliquot fratribus qui in ipſis prioribus ſgardiis interfuerunt. Quibus ſuffragiis cum vltimis Baiuliuorum nominatis, pro parte quę plures habuerit feretur ſententia, quæ executioni mandatur. Sgardiorum autem ſuffragia occulta eſſe debent non ſolum partibus verum etiam ſgardiis ipſis inter ſeſe, donec controuerſia ſit diffinita. Hoc iudicium maiores noſtri iuſtitiam domus appellarunt: in quo contra etiam abſentes legitime citatos per contumaciam proceditur. A cuius ſententiis appellare non licet quia vim compromiſſi habent.

## DE QVIBVS REBVS CELEBRANtur ſgardia.

### CONSVETVDO.

II. QVędam ſgardia oriuntur ex quærelis ſiue planctis per Magiſtrũ ſiue eius locũtenentem vel mareſcallum aut alium ſuperiorem faciendis. In ſgardiis autem quæ oriuntur ex talibus quærelis intereſſe debent tantum octo Baiuliui conuentuales, ſiue eorum locatenentes, vel fratres octo & præſidens ſiue caput per Magiſtrum aſſignandum, qui ſit Prior vel Baiuliuus, aut per mareſcallum, cum de planctis ſuis agitur, aliquis frater, qui vnico ſuffragio fungatur. Nec de tali recurritur ad renfortium & alia ſgardia, ſed hoc primum ſententiam dat

diffini-

diffinitiuam In quo Baiuliuus linguę cuius eſt is de quo fit quærela, intereſſe poteſt,& debet. Quodq. per maiorem partem deciſum fuerit exequi debet. In ſgardio autem quod celebratur per quęrelam mareſcalli aut alium ſuperiorem pręter magiſtrum & eius locumtenentem adſunt fratres ex octo linguis, vel alij pro ipſis vbi ex his non reperientur. Nec de tali recurritur ad renfortium ſgardij ſed illud primum diffinit. Alia quidem ſunt ſgardia quę procedunt ex demanda ſiue differentia & lite inter aliquos vertente. Ex quibus ſgardijs, ſiue cauſa ſit ciuilis, ſiue criminalis recurritur ad renfortium, & renfortium renfortij, ac etiam ſgardium Baiuliuorum.

## QVOD SVPER MANDATO SVPERIORIS poteſt peti ſgardium.

### F. GVILLERMVS DE VILLARETO.

SI quid à Magiſtro vel alio ſuperiore cuipiam fratrum ordinis noſtri prę- III.
ter tenorem ſtatutorum noſtrorum & conſuetudinum mandatum fuerit, Frater ipſe ſgardium petere poterit. quòd ſi magiſter illud dare recuſauerit, aut diſtulerit, perſeueret nihilominus frater in eo petendo. Nec tali mandato obedire teneatur, donec per ſgardium cognitum, iudicatumq. fuerit.

### F. IOANNES FERDINANDVS DE HEREDIA.

INterloquutorijs ſententijs ſgardium non vtitur, aut incidentia iudican- IIII.
da ſuſcipit, ante diffinitam totius cauſę ſummam, ad quam ſolum reſpicit & tendit.

### IDEM MAGISTER.

NOn datur ſgardium ſuper re vlla aut negocio concluſo, aut diffinito, vel V.
etiã cępto in concilijs, nam quicquid in illis cęptum iudicatumuè fuerit ſequitur formam illius iudicij.

### F. IOANNES DE LASTICO.

NEque ſuper controuerſijs motis aut mouẽdis inter fratres milites ex vna, VI.
& capellanos, vel ſeruientes armorum ex altera partibus, neque ſuper emergentibus aut dependentibus ab illis.

### F. PETRVS DAVBVSSON.

NEque etiam vbi agitur de iuribus communis noſtri ęrarij aut ipſius prę- VII.
rogatiuis: nec ſuper pręheminentijs & authoritate Magiſtri, ac in his rebus quę ipſum vel eius pręheminentias & authoritatem directe, proprie & immediate tangunt.

## CONCILIVM COMPLETVM COGNOſcere debet antenendum ſit ſgardium vel non.

F. RAYMVNDVS ZACOSTA.

VIII. VT multis controuerſijs occurratur quę oriuntur ex modo concedendi ſgardia, ſtatuimus, quod quandocumque aliquis frater petet ſgardium a Magiſtro, & pars aduerſa contradicet: eo caſu cognoſcatur per Magiſtrum & concilium completum an tale ſgardium dari debeat. Quòd ſi nulla partium obſtiterit quominus ſgardium concedatur tum Magiſter illud abſque vlla mora & dilatione dare teneatur.

## QVOD CAPVT ET FRATRES ſgardiorum aßignentur abſque dilatione & de ſuſpitione habita de fratribus ſgardij.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

IX. AD omnem iuſtitię dilationem & ſuſpicionem remouendam, ſtatuimus, quod quotieſcunque ſgardium fratrum ex cōſenſu partium, aut per Magiſtrum, & concilium completum datum & conceſſum fuerit, à die conceſſionis infra terminum duorum dierum Magiſter caput ſgardiorum aſſignare teneatur. Alias vrgente neceſſitate concilium ordinarium, dilatione ſemota, caput deputet. Baiuliui autem & Pilerij linguarum in termino vnius diei pariformiter ſuarum linguarum fratres pro ſgardijs deputent idoneos. Quod ſi renuerint: ipſum concilium prouideat, ſi partes ſuſpectos aliquos allegauerint, cauſas ſuſpitionis legitimas oſtendere Magiſtro & concilio ordinario obligantur: qui de hoc delibere debeant. Capita enim & fratres ſgardiorum cum ſilentio & attentione partium rationes audire teneantur abſque aliqua interruptione vocis aut ſermonis: ne fauor alicui dare videātur, ſed ęqualitas erga omnes ſeruetur. ſi quis contrafecerit pars quæ ſe lęſam ſenſerit contra facientem ſiue caput ſiue fratrem pro ſuſpecto allegare poſſit: qui tunc non reddita ſuſpicionis alia cauſa a ſgardio diſcedat.

## DE MODERATIONE FRATRVM IN ſgardio.

IDEM MAGISTER.

X. STatuimus, vt præſes vel caput ſgardiorum ſumma attentione, ſilentio, & prudentia partes ante ſgardium conſtitutas audiat; & caueat ne verbo aut facto ſermones & rationes earum interrumpat, immo eas loqui permittat. Poſtquam dicendi finē fecerint fratres ſgardij ſibi aſſiſtentes conſulat, & præſentibus partibus interroget ſi rationes & allegationes partum intellexerunt. Quod ſi intellectæ non fuerint tunc partes ipſæ ſuas rationes & iura compēdio &

breuiter

breuiter ad intelligentiam aſſiſtentium aſſumant. Quod ſi ſcripturæ vel bullæ pręſentatæ fuerint, eas explicari fratribus Sgardij per Vicecancellarium ſinat: vt audientium mentes omnem veritatem accipiant.

## *QVOD FRATRES SGARDII iuramentum præſtare teneantur.*

### F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, vt per caput Sgardij ſumatur ſolemne iuramentũ ab illis qui Sgardium intrabunt, quod ſecretum tenebunt, quicquid illic dictum & deliberatum fuerit, & nullo vnquam tempore reuelabunt ac iuſte ſecundum ſtatuta, & laudabiles conſuetudines iudicabunt. Qui contrafecerint inhabiles ad obtinendas commendas & officia ordinis noſtri in perpetuum cenſeãtur. XI.

### F. IOANNES FERDINANDVS DE HEREDIA.

SAncitum eſt, quod ſuper Sgardio nec peti, nec dari poſſit aliud Sgardium inter eaſdem partes, donec primum fuerit finitum. XII.

### CONSVETVDO.

DE re etiam per Sgardium definita & iudicata non datur aliud Sgardium. XIII.

### F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

SAncimus, quòd cauſæ Sgardiorum tractentur & agitentur extra eccleſiam: niſi ea quæ fiunt pro correctione & punitione fratrum, vt conſuetum eſt. XIIII.


IMPERIO DIGNA OBEDIENTIA.

# DE MAGISTRO.

## TITVLVS NONVS.

## QVOD FRATRES OBEDIANT Magiſtro.

### F. ALPHONSVS DE PORTVGALLIA.

MELIOR eſt obedientia quam victima. Nihil quoque I.
exiſtit quod magis religionis obſeruantiam conſeruet
quam vera illibataque obedientia, qua inferiores ſuperio-
ri ceruiceam ſubmittunt. Ideo recte ſancitum eſt quod
omnes Hieroſolymitani fratres quacumque authoritate
fungantur, Domini Ieſu Chriſti Saluatoris & Redempto-
ris noſtri amore Magiſtro obedire teneantur.

## DECLARATIO OBEDIENTIÆ.

### CONSVETVDO.

IN regula cauetur, quod frater obediat in omni re quam pręcipiet ſuus II.
Magiſter; in quo regula non excludit aliquam rem, nihilominus eſt in-
tellectum quod habeat terminum & limites: quia nulla res recte ordina-
ta eſt ſine termino & limitibus: & iſte terminus eſt regula, ſtatuta, & bonę
conſuetudines Religionis, & id oſtendit ſtatutum, quo cauetur vt omnes fra-
tres teneantur obedire Magiſtro contemplatione Chriſti: Quia quando Magi-
ſter pręcipit extra illud quod promiſit, eſt malum & peccatum, & pro Chri-
ſto non debet committi malum & peccatum: quinimo omne bonum; ea propter
pręceptum regulæ eſt clarũ, & in hoc determinatur; & ideo eſt ſancitum, quod quã
do ſuperior facit aliquod præceptum quod non eſt ſecundum ſtatuta, vſus & con
ſuetudines religionis, frater debet petere Sgardium fratrum; quia noſtra obedien
tia non eſt ad aliud intellecta, & non debemus eſſe magis aſtricti de obedientia
niſi quantum noſtra regula & bonæ conſuetudines ordinant, Quæ ſuperior no-
ſter promiſit tenere: & ſi facit contra iuramentum, frater non debet ſibi obedire.

## QVOD MAGISTER SIT FRATER *miles & nobilibus parentibus legitime procreatus.*

F. HVGO REVEL.

III. DEcet vt qui militię præeſt militarem dignitatem preſeferat. Hinc ſtatutum eſt quod nullus aſſumi, aut eligi in Magiſtrum ſacri Hoſpitalis Hieruſalem poſſit, niſi ſit frater miles ipſius ordinis Hoſpitalis, atque ex nobilibus parentibus legitimoq. matrimonio procreatus exiſtat.

## ELECTVS MAGISTER A CONVENTV *abſens non excedat limites commiſſionis a conuentu datæ.*

F. FABRITIVS DE CARRETO.

IIII. STatuimus, quod electus in partibus occiduis Magiſter, in ſuo ad conuentum aduentu pro vſu publico Religionis non poſſit expenſis communis ærarij ex quibus uis rebus emere & cõducere, aut pecunias à receptoribus aut depoſitarijs religionis capere, niſi tantum quantum à concilio fuerit commiſſum & ordinatum. Si autem modum exceſſerit, de ſuo feciſſe intelligatur.

## QVOD COMMENDÆ DIGNITATES OF*ficia & beneficia promoti ad magiſterium vacare cenſeantur.*

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

V. STatuimus, quod quando aliquis ex fratribus noſtris ad Magiſterium promouetur, adepto per electionem Magiſtratu, eo ipſo adminiſtrationes commẽdarum, Prioratuum, Baiuliuatuum, dignitatum, & officiorum, quę prius ante Magiſterij adeptionem poſſidebat, vacare cenſeantur. Quorum conceſſio & prouiſio deuoluatur Magiſtro & conuentui, & ſecundum formam ſtatutorum & laudabiles conſuetudines concedantur.

## QVOD PER PROMOTIONEM AD *magiſterium ſit mortuarium & vacans.*

IDEM MAGISTER.

VI. VOlumus, quod per promotionem alicuius ad magiſterium ſit mortuarium in magiſterio, & vacans in prioratu, Caſtellania empoſtę, Baiuliuatu, cõmendis & bonis noſtri ordinis, quæ poſſidebat ante promotionem illius qui promotus erit ad magiſterium.

## *QVÆ BONA MAGISTER POTEST retinere ex ſpolio ſui prædeceſſoris.*

### F. ANTONIVS FLVVIANVS.

SAncitum eſt, quod ex ſpolio Magni Magiſtri defuncti, ſucceſſor Magiſter quę ſequuntur ſumere debeat, videlicet, de frumento & vino quantitatem ſibi neceſſariam vſque ad diem Natalis Domini ab electione Magiſtri proxime ſequuturam, reſiduum vero frumenti, commeatuum, & vini ad ęrarium perueniat. De vaſis autem argenteis applicentur ſtatui magiſterij pro Magiſtro vſque ad ſexcentas marcas argenti & non vltra. De iocalibus autem ſumet vnam cuppam auri & vnum vas aquarium ſi in ſpolio reperiantur & non aliud, cætera vero præter hæc ærario noſtro aſcribantur. VII.

## *DE CAMERIS MAGISTRALIBVS.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

IAm olim a tempore cuius non eſt memoria, ad ſuſtinenda & ſupportanda magiſtratus ordinis noſtri onera, & vt Magiſter ipſe decentius & cõmodius eam dignitatem gerere poſſet, fuerunt illi aſſignatæ & ipſi magiſtratui annexæ & in perpetuum vnite per ſingulos Prioratus ſingulæ Commendæ, quæ magiſtrales dicuntur, quæ nunquam ab ipſo magiſtratu ſeparari poſſunt, Solet tamen Magiſter eas locare vel ad certam penſionem dare fratribus ſibi beneuiſis; Quæ quidem commendę ſunt quæ ſequuntur. VIII.

In Prioratu ſancti Aegidij commenda de peſenas.
In Prioratu Tholoſæ commenda Podij Subreani.
In Prioratu Aluernię commenda de Salins. ∴
In Prioratu Franciæ commenda Hannoniæ.
In Prioratu Aquitaniæ commenda Templi in rupella.
In Prioratu Campaniæ commenda Metenſis.
In Prioratu Lombardiæ commenda Inuerni. ∴
In Prioratu Vrbis commenda Mugnani. ∴
In Prioratu Venetiarum commenda Triuiſij.
In Prioratu Piſarum commenda Prati. ∵
In Prioratu Capuę commemda Ciciani.
In Prioratu Baroli commenda Brunduſij, ſiue Marugij.
In Prioratu Meſſanę commenda de Polizzi.
In Prioratu Chathaloniæ commenda de Maſdeo. ∵
In Prioratu Nauarre commenda de Calcetes.
In Caſtellania empoſtæ commenda de Aliaga.
In Prioratu Caſtellæ commenda de Olmos. ∵
In Prioratu Portugallię commenda de la Coua.
In prioratu Angliæ commenda de Peſcens. ∵
In Prioratu Alemaniæ commenda de Buez. ∴
In Prioratu Boemię cõmenda VVladiſladiæ.

## QVOD COMMENDA DE LA FINICA eſt Camera Magiſtralis.

F. IOANNES DE VALLETA.

IX. INter alias Commendas quę Magiſtratui annexæ & in perpetuum vnitę ſunt annumerari etiam debet Commenda de la finica, regni Cypri, olim conſtituta.

## QVOD MAGISTER LOCUMTENENTEM conſtituere poßit.

F. PETRVS DE CORNILIANO.

X. MAgiſter in conuentu reſidens Locumtenentem ac vicegerentem deſignare & conſtituere pro ſuæ voluntatis arbitrio, authoritatem quoque ſibi beneuiſam pro ſuæ præeminentiæ facultate concedere poteſt.

## HÆC SVNT QVÆ MAGISTER fratribus permittere poteſt.

CONSVETVDO.

XI. PRimum poteſt dare licentiam tenendi veſtes proprias & aliam ſupellectilem. Item peregrinandi deuotionis gratia. Item comedendi priuatim in proprijs domibus. Item recedendi à conuentu. Item conferendi habitum Hoſpitalis. Item congregandi linguas. Item Baiuliuis præcipiendi aquæ potum: quem nullus remittere poteſt poſt campanæ ſonum. Id enim reſeruatur ſoli Magiſtro.

## QVÆ DELICTA MAGISTER remittere poteſt.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XII. MAgiſter nulli ante condemnationem parcere poteſt neque in perpetuum habitu priuatis: niſi de Capituli Generalis conſenſu: quod non niſi ex cauſa fieri debet. Poterit autem Magiſter pœnam commutare eorum qui propter effuſum alterius fratris ſanguinem habitu ſecundum formam ſtatutorum noſtrorum priuantur. Dummodo a Concilij Baiuliuis id facere ſit rogatus & loco priuationis habitus, delinquenti vnum annum de Antianitate vel plures, circumſtantijs & qualitate delicti conſideratis, demere. Quæ quidem antianitatis diminutio cedat in commodum filiorum Arnaldorum, & hoc vbi mors & mutilatio membrorum non fuerit ſubſequuta: quoniam in his caſibus ſtatuta ad literam ſeruari iubemus.

## QVOD MAGISTER NON ALIENET *prouentus Magiſterij.*

### F. FABRITIVS DE CARRETO.

STatuimus, quòd donationes quæ à Magiſtro pro tẽpore exiſtenti fient de iuribus, prerogatiuis, præheminentijs,& prouentibus Magiſterij in preiudicium ſucceſſorum, irritæ ſint; & in vim præſentis ſtatuti præfata iura præheminẽtiæ & prouẽtus, donatore vita functo, eo ipſo deuoluta ad Magiſteriũ cenſeantur, niſi donationes ipſas capitulum generale confirmauerit. Quod ſine certa ſcientia & cauſa legitima facere non debet. XIII.

## DE EODEM.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, quod ſi Magiſter in infirmitate conſtitutus aliquam vel aliquas ex cameris Magiſtralibus, vel alia bona magiſterio annexa vnita & incorporata de quibus ex capituli generalis licentia diſponere eidem cõceſſum fuerit cuipiam conceſſerit ad vitam vel ad tempus, aut alias de illis diſpoſuerit, talis diſpoſitio & conceſſio nullius ſit valoris, aut effectum habere poſſit, niſi magiſter qui eam fecerit ex illa infirmitate conualuerit, vel poſt talem conceſſionem vel diſpoſitionem dies triginta ſuperuixerit. Idem volumus in Prioribus & Baiuliuis circa membra camerarum prioralium, & in commendatarijs pro membris commendarum de melioramento obſeruari. XIIII.

## DE BVLLA PLVMBEA *& cerea Magiſtri.*

### F. NICOLAVS LORGVE.

STatutum eſt, quod Magiſter bullam plumbeam in cuius cuneo ſuperiori imago perſonæ eius ſculpta ſit, habeat. Quòdque cuneo inferiori bullæ communis cuneus ipſe iungatur; qua quidem bulla vtatur in his expediendis, bullandis & corroborandis, quæ auctoritate & preheminẽtia magiſtrali expedita fuerint. Bullam quoque argenteam teneat, qua in cera nigra bullentur literę patentes & clauſæ, atque alia, quę ſub dicta bulla expediri ſolent. XV.

## DE PROVISIONE VICTVALIVM *facienda.*

### F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quòd Magiſtri pro tempore exiſtentes, faciant debitam & neceſſariam prouiſionem milij & frumenti: Ita quod ad minus ſit ſemper munitio vnius anni, iuxta ſuam poſſibilitatem. XVI.

## DE QVATVOR CAPELLANIS PALATIJ Magiſtralis.

### F. FABRITIVS DE CARRETO.

XVII. VT ſanctæ reliquiæ, quæ in palatio magiſtrali ſunt, debite venerentur. Statuimus, quod quatuor capellani dicti palatij vacãte Magiſterio, & in abſentia Magiſtri diurno & nocturno tempore diuina officia aſſidue celebrent ac peragant, ac ſi Magiſter præſens eſſet: & antequam à conuentu diſcedãt faciant carauanas, prout hactenus fuit obſeruatum.

## DE BONIS STATVS MAGISTERIJ.

### IDEM MAGISTER.

XVIII. STatuimus, quod contingente caſu vacationis Magiſterij, magnus Commendatarius ſiue eius locumtenens & Conſeruator conuentualis vnà cum alijs commiſſarijs tunc à concilio deputatis, per inuentarium ab officialibus palatij Magiſtralibus medio ſolemni iuramento integre recipiant omnia vtenſilia, quæ pręterito magiſtro ſeruierunt; & ea bene cuſtodita conſeruent: ſi quæ fuerint ſubtracta, per inquiſitionem commiſſariorum reperiantur. Et ſimile ſeruetur circa equitaturas Magiſtri & ſtatus magiſterij. Vaſa autem aurea & argentea ad commune ærarium ſpectant. Caſſanturque malæ introductiones ab officialibus factæ.

## ABSENTE MAGISTRO REGENTES negocia Religionis ea tractent cum deliberatione Concilij.

### IDEM MAGISTER.

XIX. STatuimus etiam, quod in abſentia magiſtri à conuentu, qui regimini Religionis pro tempore fuerint deputati, debeant ardua Religionis negocia ex deliberatione Concilij tractare, & ſuper his diſcernere; & ſimiliter officiales remouere, & alios ponere; ac de officijs, commendis & beneficijs prouidere & remiſſiones facere ex dicta deliberatione, quæ per ſcrutinium ballottarum, ſeruata forma ſtatutorum ſumatur. Quæ autem præter hunc ordinem facta fuerint, nullius roboris cenſeantur.




DEO TVRRIM LINGVARVM STRVANT
COLVMNAE.

# DE BAIVLIVIS

## TITVLVS DECIMVS.

### *DE ORIGINE BAIVLIVORVM.*

CONSVETVDO.

VT Magiſter regimini atque gubernationi Ordinis noſtri maturius intendere poſſet maiores noſtri Senatum & Concilium, quod Magiſtro adeſſet, inſtituerunt: & viros graues titulis dignitatum inſignitos Senatui adſcripſerunt. Hinc inſtituti ſunt in Religione Conciliarij, videlicet Magnus Commendatarius, Mareſcallus, Hoſpitalarius, Admiratus, Magnus conſeruator, Turcopolerius, Magnus Baiuliuus, & Magnus Cancellarius, qui Baiuliui conuentuales dicuntur, quia ſuarum lingarum præſides exiſtunt. I.

### *QVI FRATRES SVPPOSITI SINT obedientiæ Mareſcalli.*

F. ALPHONSVS DE PORTVGALLIA.

SAcer ordinis cętus id expoſtulat, vt inferior ſuperiori pareat. Hinc ſtatutũ eſt, quod omnes & ſinguli fratres tam milites quam ſeruientes armorum Mareſcallo obediant, à cuius obedientia exempti ſint Baiuliui conuentuales eorumque Locatenentes, Priores, Caſtellanus empoſtæ, & Baiuliui capitulares, Magiſtriq. comites ſiue ſocij. II.

### *QVOD GENTES ARMORVM IN MAri ſint ſuppoſiti Admirato & ſi Mareſcallus ſit præſens eidem pareant.*

F. GVILLELMVS DE VILLARETO.

STatutum eſt, quod Admiratus habeat poteſtatem ſuper omnes galeas & nauigia armata per Religionem, quòdque poſſit retinere remiges & galliotos, ac armorum gẽtes, eiſque faciat ſolutionem in ęrario, atque tam III.

in mari quam in terra ſint ſuppoſiti armigeri maritimi authoritati Admirati. Si vero Marreſcallus erit in armamento, Admiratus & reliqui ſint ad mandatum Mareſcalli, Et omnes armigeri, qui deſcendent in terram, ſtare debent ad mandatum illius quem Mareſcallus ſuo loco deputabit. Cum autem erunt ſupra mare eundo & redeundo, ſint ad præceptum Admirati, niſi Mareſcallus adeſſet.

IDEM MAGISTER.

IIII. CVm Mareſcallus congregationes ſeu Aſſembleas conuocat & celebrat, ad eas venire & ipſis intereſſe Prior eccleſię teneatur.

## DE VEXILLO RELIGIONIS PER MAreſcallum commendando.

IDEM MAGISTER.

V. MAreſcallus ordinis noſtri ex prærogatiua ſui officij poteſt dare & commendare in exercitio armorum cui ſibi placuerit vexillum ſiue confalonem ordinis noſtri, Id tamen cum conſilio Magiſtri vel eius Locumtenentis facere teneatur.

IDEM MAGISTER.

VI. FRatribus delinquentibus pro delictorum qualitate potum aquæ præcipiat Mareſcallus in eorum domibus. Quod quidem alius Baiuliuus facere non poteſt, niſi a Magiſtro licentiam quęrat.

## QVOD FRATRES IN ARMORVM exercitio ſuppoſiti ſint præcepto Mareſcalli.

IDEM MAGISTER.

VII. SI in omnibus obedientia laudanda eſt, in armorum exercitio profecto magnopere commendanda exiſtit. Igitur in armorum exercitio fratres Præcepto Mareſcalli ſuppoſiti ſunt, exceptis Baiuliuis conuentualibus, & capitularibus, Prioribus, Caſtellano empoſtæ, & ſocijs Magiſtri, & ſi Magiſter erit præſens tunc Mareſcallus, & alij obedientiæ Magiſtri ſupponuntur, Abſente vero Magiſtro, eius Locumtenenti parere teneantur.

## DE POTESTATE ADMIRATI ſuper armamentis.

IDEM MAGISTER.

VIII. ADmirato ordinis noſtri ex ſui officij præeminentia omnes fratres & ſeculares expeditionis & claſſis maritimæ ſubmittimus, cui parere debeant, & ſuper his Admiratus poteſtatem exerceat. Si vero Magiſter aderit, aut

eius locumtenens, tunc Admiratus & reliqui Magiſtro vel locumtenenti obediãt: Illi quoque maritimi homines qui ad ſtipendium Religinis exiſtunt, ſuper eorum ſolutione quantum ſpectat ad marinariã ipſi Admirato ſubiecti ſunt.

## DE PRÆROGATIVA ADMIRATI.

### F. DEODATVS DE GOZONO.

QVando Religio armabit triremes ſeu alia nauigia, Admiratus iniunget Remigibus & nautis vt triremes & nauigia conſcendant, ſtipendia quoque ab ærario ſumet, ſeu illi quos deputabit vt Remigibus & nautis exoluantur: Magiſter tamen pro Remigibus & nautis ſuis ſuorumq. nauigiorum & triremium ſumet neceſſarios commeatus, & quę opportuna fuerint. IX.

## QVOD BAIVLIVI, OFFICIALES AB *eis deputatos priuare non poßint officijs.*

### F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

NON decet graues viros & qui regimini preſunt variabiles eſſe. Itaq. non eſt permiſſum Baiuliuis qui ſemel in vim ſuæ preheminentię officiales elegerint aut conſtituerint, eos ab officijs ſub pretextu alicuius delicti aut aliter deſtituere: niſi prius per Magiſtrum & concilium ordinarium declaratum & deciſum fuerit ipſos officiales in exercitio officiorum deliquiſſe, & propterea priuationem officij incuriſſe. Quicumq. Baiuliuus contrafecerit ſubeat pœnam quarantenæ; & nihilominus quicquid egerit irritum cenſeatur. X.

## QVOD COMMENDATARII VOLTÆ, *granarij, paruæ commendæ reddant computum quolibet menſe Magno Commendatario.*

### F. ANTONIVS FLVVIANVS.

AD conſeruationem rerum & bonorum ordinis noſtris Statuimus, quod cõmedatarij voltę, granarij, & paruę commendę de adminiſtratis & rebus ad ſua officia ſpectantibus quolibet menſe computum magno Commẽdatario reddere teneantur, & reliqua ſiue reſidua manifeſtare. Si autem contrafecerint ſeu male & doloſe adminiſtrauerint, priuati officijs & beneficijs cenſeãtur, atq. quinq. annos inhabiles ad conſequendũ commendas exiſtant; Omnes quoque expenſas & ſatisfactiones, quas commendatarius voltę faciet, in pręſentia, magni Commendatarij, ſi intereſſe poterit, vel in eius abſentia, Theſaurario generali præſente, facere teneatur. XI.

## DE OFFICIO MAGNI BAIVLIVI VENE randæ linguæ Alemaniæ.

IDEM MAGISTER.

XII. PRæheminentias, ac dignitatē pariter, onus officij magni Baiuliuatus Ven. linguę Alemaniæ ad omnem ambiguitatem remouendam, ad vtilitatem & congruam opportunamq. cuſtodiam caſtelli noſtri ſancti Petri in ditione Turcarum ſituati (in quo certe non parum pondus honoris & decoris ordinis noſtri conſiſtit, cum ad ipſum chriſticolæ ſeruitutis iugo preſſi libertatis cōſequendæ gratia ſæpenumero Confugiunt. Idem quoq. caſtellum viſitatione & reformatione circa ſtipendiarios, armaque eorum, ac munitiones eiuſdem caſtelli, & prouiſiones plerumq. egere videtur) Declarantes, & his quidē rebus arduis prouidere cupientes: Statuimus, quod magnus Baiuliuus conuentualis dictæ linguæ Alemanię Pręſes, qui pro tempore huiuſmodi officium magni Baiuliuatus gerit, ſeu eius locumtenens anno quolibet ſemel ad minus, aut prout neceſſitas poſtulauerit, ad dictum caſtellum viſitandi gratia perſonaliter accedere debeat, Trireme Rhodia aut alio nauigio vectus, prout ei melius & commodius faciendum videbitur. Volumuſq. fratres & familiares cum ipſo magno Baiuliuo vel eius locumtenente viſitationis cauſa ad dictum caſtellum accedētes ſumptus à communi ęrario percipere, quemadmodum fratres, & familiares in triremibus ordinis percipiunt.

## DE MODO VISITATIONIS IN CASTELlo Sancti Petri.

IDEM MAGISTER.

XIII. QVia in omni rerum executione modus & norma potiſſime eſt admittenda: Ideo in viſitatione dicti Caſtelli exequenda magnus Baiuliuus eiuſq. locumtenens hunc ſeruabunt morē. Stipendiatos vtiles, beneq. armis munitos ac paratos eorum in ſtatu & ſtipendijs conſeruare, retinereq. teneantur ac debānt. Inutiles vero & ineptos caſſare & à ſtipendijs remouere, abdicareq. debeant, & alios habiles, & idoneos loco eorum ſubrogare, ponere, & ſubſtituere. Quod ſi vtiles & ſufficientes ſtipendiarij aliqui potentes, tamen armis bene muniti non comperiantur, terminum congruum & competentem talibus aſſignent, in quo armis muniti ſufficientes exiſtant: alias ſtipendio eis ordinato fruſtrentur & priuentur.

## DE RESTRICTIONE EXERCITII MAGNI Baiuliui.

### IDEM MAGISTER.

CApitaneum certe & pręfectum, qui a nobis dicto Caſtello pręficitur & deputatur, merito ab exercitio dicti officij magni Baiuliui exemptum eſſe conuenit. Ideo ſtatuimus, quod poteſtas & authoritas dicti officij ad capitaneum, & eius familiares, & ad illos qui fuerunt in conqueſta eiuſdem, ac ſtipendiatos qui a ciuitate Smyrnarum ad ipſum Caſtellum habitandi gratia migrarunt, qui à ſtipendijs certe deſtitui non poſſint niſi de licentia Magiſtri, nullo pacto extendatur: verum à dicta poteſtate eximuntur. Volumus tamen ad robur dignitatis Magni Baiuliui, quod illa quę per capitulum generale fuerunt ordinata, ipſam dignitatem concernentia, in officio & ſtipendijs plenariam firmitatem obtineant. XIIII.

## QVOD CAPITANEVS CASTELLI Sancti Petri præſtet fauorem Magno Baiuliuo viſitanti.

### IDEM MAGISTER.

NIhil eſt, quod magis ſtatus conſeruet quam vera Illibataque obedientia. Statuimus itaque, quod in uiſitatione dicti caſtelli per magnum Baiuliuum, ſeu eius locumtenentem facienda, capitaneus caſtelli eiuſdem, qui pro tempore fuerit, eidem magno Baiuliuo aut ſuo locumtenenti in dicta viſitatione exequenda obediat & pareat: conſilium quoque, auxilium, & fauorem pręſtare debeat, quoties ab ipſo magno Baiuliuo aut eius locumtenente fuerit requiſitus: Ipſa quoque viſitatione peracta, cum magnus Baiuliuus Rhodum Reuerſus fuerit, de omnibus compertis & occurrentibus verbo & ſcriptis plenariam relationem Magiſtro faciat. XV.

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

ET quoniam Magnus Baiuliuus ſupradicta præheminentia quã Rhodi habebat, amplius vti non poteſt. Statuimus, vt ipſius loco ius viſitandi notabilem ciuitatem veterem huius noſtræ inſulæ Melitę, & caſtellum Gaudiſij habeat. XVI.

## DE HORREI COMMENDATARIO & probis hominibus & de præheminentia Magni Commendatarij ſuper eo.

F. IOANNES DE LASTICO.

XVII. CIrca commeatuum & granorum conſeruationem diligens cuſtodia adhiberi debet, ne per negligentiam pereant. Idcirco incommoditates uitare cupientes, Statuimus, quod omnia frumenta, hordea, aliaque grana, biſcotta, & alij commeatus ad commune ærarium pertinentia, in horreo, loco apto, tuto, & idoneo reponantur, & conſeruentur ſub clauſura duarum clauium. Ad ipſorum quoque conſeruationem Religioſus probatæ vitę, & expertæ diſcretionis eligatur in granarij commendatarium; qui alteram dictarum clauium tenebit: Atque per Magiſtrum & concilium ordinarium duo religioſi idonei & ad hoc ſufficientes ex diuerſis linguis eligantur, qui alteram clauem cuſtodiant. Taleſque probi homines trimeſtri dumtaxat fungantur officio, intendantque conſeruationi & diſtributioni frumenti & commeatuum, computum quoque de receptis datiſque teneant, prout per cedulas magni commendatarij ordinatum fuerit; & ipſum computum Magiſtro & concilio ſingulo trimeſtri dare teneantur. Quod ſi in huiuſmodi diſtributione augmentatio vel diminutio contingerit, id in commodum, vel damnum ærarij cedat. Hoc adiecto, quod granaria & magazeni vbi prędicta recluduntur, bullentur magni Commendatarij bulla. Præfati tamen magazenum vnum liberum habeant vbi aſſiduas diſtributiones facere poſſint. Commendatarij autem voltæ & granarij ſtipendium florenorum XXV. tantum pro quolibet annuatim præter tabulam & ſoldeam ab ærario capiant.

## DE PROBIS HOMINIBUS PARuæ commendæ.

IDEM MAGISTER.

XVIII. ET ſuper officio paruæ cõmendę diligentius intẽdatur, ſtatuimus, vt per Magiſtrũ & conciliũ deputentur duo probi religioſi ex diuerſis linguis, qui de dicta perquirant & magno cõmendatario ſignificẽt, quibus illico remediũ apponat, aliter ad Magiſtrum & concilinm deferatur qui ſecundum caſuum emergentiam prouideant. Amplius, officiales horrei, voltæ, paruę commendæ, & eleemoſynę quolibet biennio mutari mandamus.

## QVOD MARESCALLVS NEMINEM *liberet à turris cuſtodia.*

IDEM MAGISTER.

SVmma cura vigilantia quoq. adhibenda eſt inſulæ noſtræ cuſtodiæ & excubijs, quæ tot tantiſq. inimicis circumſcepta eſt. Iubemus igitur, vt omnes fratres ſuppoſiti prȩheminentiȩ Mareſcalli equaliter omni ſecluſa excuſatione excubias & vigilias, ad turrim deputatam fieri ſolitas, teneantur perſeueranter exercere, A quo onere Mareſcallus per ſe aut alios liberare, & immunem reddere quempiam non poſſit, ſeu quouis modo excuſare. XIX.

## QVOD EQVI PASSAGII MARESCALLO *præſententur.*

IDEM MAGISTER.

EQuos paſſagij Mareſcallo ac duobus religioſis qui ad hoc deputentur, prȩſentari iubemus atque volumus. Qui quidem equi cum apti & idonei pro paſſagio dijudicati fuerint, tunc per ſcribam ȩrarij in libro ipſius ȩrarij Mareſcalli iuſſu annotentur. XX.

## PROBI HOMINES SVPER OFFICIO MA*giſtri ſcutiferi eligantur, & Mareſcallus defectus corrigat.*

IDEM MAGISTER.

OMnem fraudem & negligentiam excludere cupientes, ſancimus, quod Magiſter & concilium ordinarium duos Religioſos diſcretos eligant, qui intendant ſuper his quȩ pertinent ad Magiſtri ſcutiferi officium, & quæ dicto officio ſuppoſita ſunt. In quibus ſi aliquod indebitum inuenerint, illud Mareſcallo ſignificent, qui dilatione ceſſante prouideat, remediumq. apponat, & pro caſus exigentia puniat: quod ſi non fecerit ad Magiſtrum & Concilium referatur qui de remedio prouidebunt opportuno. XXI.

## QVOD HOSPITALARIVS ELI*gat infirmarium quem Magiſtro & concilio præſentet.*

## IDEM MAGISTER.

XXII. PLurimum intereſt vt exercitio Hoſpitalis, & curę ęgrotorum vir prudens & diſcretus deputetur qui exercitij infirmorum ductor, rector, & director exiſtat. Itaq. volumus & Statuimus, quod Hoſpitalarius conuentus noſtri fratrem ex lingua Francię, ſi in ea Idoneum tali exercitio comperiat, in Infirmarium eligat. Si vero in ipſa lingua ſufficientem non inuenerit, aliquem ex alijs linguis indifferenter pro eius arbitrio in infirmarium eliget. Quem ſic electum Magiſtro & concilio ordinario pręſentabit. Qui pręſentati idoneitatē diſcutient, ipſum quoque confirmabunt, vel reijcient. Si minus idoneus eſſet, tunc Hoſpitalarius de alio prouidebit ordine prætacto. Infirmarius autem ſic electus exercitio huius officij per biennium dumtaxat pręerit. Quo finito, Magiſter & concilium diligenter inquirent de cura, diligentia, & obſequio ab eo in ipſo termino præſtitis. Quod ſi bene iuſte, & laudabiliter ſeruitijs infirmariæ ipſum intendiſſe comperient, pro alio biennio in eo officio confirmari poſſit. Alias ab officio deſtituatur, & alius modo pręd ícto eligatur. Scriba quoque infirmariæ ſicut infirmarij, biennio quolibet mutetur.

## F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

XXIII. ITa tamen quod ad officium infirmarij eligatur frater miles.

# *DE QVIBVSDAM PRÆROGATIVIS magni Conſeruatoris.*

## F. IOANNES DE LASTICO.

XXIIII. STatuimus, quod magnus Commendatarius aut eius vicegerens, ac procuratores noſtri communis ærarij tempore ſolutionis ſoldearum debeant dare & conſignare Magno Conſeruatori vel eius locumtenenti omnes & ſingulos pannos lanæ, lini, canauaſſæ, & camelotos pro ſoldearum ſolutione deputatos. Quodque magnus Conſeruator & in eius comitiua Conſeruator conuentualis diſtribuant huiuſmodi ſoldeas. Inhibentes ne cuiquam plus anticipetur quam quod pro vno anno dari & percipi ſolet; quod ſi ſecus factum fuerit ipſe conſeruator conuentualis teneatur ſoluere communi ærario præcio forenſi quod plus anticipatum fuerit. Magnus Conſeruator quoq. ſeu eius locumtenens interueniat & adſit contractibus pannorum, telarum, camelotorum, canauaſſarum pro ſoldeis, adſit quoque ſpolijs Fratrum diſtribuendis.

## QVOD MAGNVS CONSERVATOR det licentiam ſcindendi & faciendi veſtes.

IDEM MAGISTER.

NOn licet fratribus obedientiæ vinculo adſtrictis, pro ſuo viuere arbitio, ſed in omnibus obedientiam pręſeferre tenentur. Ideo ſtatuimus, quod fratres veſtes breues aut longas ſcindi facere & ordinare, ipſisq. vti non audeant aut præſumant ſine magni conſeruatoris licentia. Si quis contrafecerit de eo magnus conſeruator mareſcallo quærelam faciat & delinquens pœna ſeptenæ, toties quoties contrafecerit puniatur. XXV.

## QVOD TVRCOPOLERIVS NON DESTItuat turcopolos abſq; cauſæ cognitione.

IDEM MAGISTER.

NOn decet, niſi merito, quempiam ab officio deſtituere. Ideo prohibemus, ne Turcopolerius turcopolos officio priuare de facto abſque cauſæ cognitione debeat. Quod ſi erraſſe aut deliquiſſe compererit, tales ab officio ſuſpendat, ſicque ſuſpenſis in pręſentia teſtium fide dignorum decem dierum terminum aſſignet, in quo delinquentes coram Magiſtro & concilio ordinario debeant comparere reſponſuri obiectis, quo iuſtitia miniſtretur. Ipſis vero delinquentibus termino pręfixo non comparentibus, per contumaciam officium auferatur, & alios eorum loco Turcopolerius ſubroget & conſtituat. XXVI.

## DE PASTV QVEM TVRCOPOLERIVS a Turcopolis accipit.

IDEM MAGISTER.

IN luſtratione & circuitione inſulæ noſtrę per Turcopolerium facienda, paſtum duorum dierum quolibet anno tantum non continuorum ſed diuerſo tempore a turcopolo ſumat turcopolerius, ne expenſarū onere ſubditi noſtri nimium grauentur. XXVII.

## DE STIPENDIIS BAIVLIVORVM.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVi officijs pręſunt vt onere ſic etiam honore emolumentoque frui decet, labor quoq. pręmij ſpe confouetur. Baiuliuis itaq. conuētualibus ordini- XXVIII

noſtri cum in conuentu præſentes fuerint, ſtipendium cuilibet ſcutorum ſexaginta dumtaxat deputamus & aſſignamus. Si vero abſentes a conuentu fuerint ipſo ſtipendio careant, Eorum locatenentes qui onera albergiarum ſupportabũt quadragintaquinque ab ærario recipiant. Prior autẽ eccleſię quadraginta octo. Theſaurarius generalis totidem. Cuius locumtenens medietatem tantum percipiet, non obſtante quocumque ſtatuto in contrarium faciente.

## DE THESAVRARIO GENERALI *& eius prærogatiua.*

### F. IOANNES DE LASTICO.

XXIX. THeſaurarij generalis ordinis noſtri dignitatem linguæ Franciæ perpetuo aſcribimus, qui Baiuliuus capitularis eſse cenſeatur. Is quoq. aſſiduam reſidenriam in conuentu facere tenetur, habetque in cuſtodia bullam ferream commũnẽ in ſacculo ſub ſigillis Magiſtri & Baiuliuorum qui ſigillare conſueuerunt, recluſam. In concilijs quoque aderit, loco & ſuffragio Baiuliui capitularis gaudebit: in redditione quoque computorum ærarij vna cum Baiuliuis interueniat, & ſtipendium anuũ ab ęrario, ſi frater miles fuerit, ſcuta auri quadraginta octo, ſi vero armorum ſeruiens aut Capellanus florenos Rhodi currentes centum percipiet.

## DE PRÆSIDENTIA ET ORDINE *Baiuliuorum & Priorum.*

### IDEM MAGISTER.

XXX. STatuimus, quod Baiuliui, Priores, & Caſtellanus empoſtę, tam in conuentu quam extra, ſedeant atque ſtent in ſeſſione, deambulatione, & locutione in concilio & alijs locis, quemadmodum præteritis temporibus facere & ſtare conſueuerunt.

## QVOD DONATI *obediant Baiuliuis.*

### IDEM MAGISTER.

XXXI. SI fratres ordinis noſtri ſuperiori obedire tenentur, non minus certe donati obſequio ordinis noſtri aſcripti ſuperioribus parere aſtringuntur. Quare iubemus, vt donati debeant ſeruire in albergia, in qua fuerunt ſemel recepti atque parere in omnibus rebus licitis & honeſtis Baiuliuo vel eius vicegerenti Albergiæ ipſius. Quod ſi contrafecerint perdant ſoldeam & menſam quam ab ęrario capiunt: niſi legitima excuſatione prępediti fuerint a Magiſtro & concilio cognoſcenda.

## QVOD MAGNVS COMMENDATARIUS præſentet officiales granarij & paruæ commendæ.

### F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quod magnus Commendatarius de qualibet lingua fratres ſibi beneuiſos Magiſtro & concilio ordinario pręſentet pro officijs granarij, & paruæ cōmendæ, quos Magiſter & concilium acceptent, ſi ſufficientes fuerint: ſi minus idonei extiterint, alios præſentet idoneos quos Magiſter & concilium aceptare tenentur. XXXII.

## DE PRÆROGATIVIS MAGNI Commendatarij & Admirati ſuper officio Tercinalis & voltæ.

### IDEM MAGISTER.

AD pacificandum differētiam quę eſt inter venerabiles magnum Commēdatariū & cęteros fratres linguę prouinciæ ex vna; & Admiratū & alios fratres linguę Italię partibus ex altera ſuper officio tercinalis & voltę; auditis & intellectis dictis partibus, & earū rationibus, dictā differētia determinamus & per ſententiam diffinitiuā Statuimus & ordinamus, auctoritate huius pręſentis capituli: quod de cętero magnus Commendatarius, debeat & poſſit ponere & eligere commendatarium dictæ voltę, & tercinalis, habens talem præheminentiam ipſe magnus Commendatarius, ſicut conſueuit. Qui Commendatarius voltæ teneatur reddere bonum cōputum quolibet menſe omnium rerum per eum adminiſtratarum ante auditores computorum qui per Magiſtrum & concilium ordinarium erunt ordinati, & de qualibet re computum particulariter conficiat, vt ſtatim quid de qualibet re reſtabit, & quid deficiet ſciatur. Et quod Admiratus (non pręiudicando dicto officio præfati commendatarij tercinalis) vltra dictum commendatarium poſſit & debeat ponere, vnum officialem nominatum probum virū, ſibi beneuiſum qui poſſit ædificare intra limites dicti tercinalis, ad intrādum dictum tercinale, exeundumque domum: Qui probus vir teneatur, habere vnum librum, in quo ſcribat omnes res quę eſſent emptæ, & conductę, ſicuti ferrum ligna, remi, filum, ſtupa, arma, vela, & alia omnia de quibus debeat onerare dictum commendatarium, & omnes expenſę quæ fient quolibet die ſint viſæ & verificatæ per dictum probum virum, alias non admittantur in computis, & quod nō abſit de uolta quolibet die quando operabitur pro ærario, & quod omnium rerū ſit factum vnum inuentarium, cuius copia teneat magnus Commendatarius, vnā admiratus, & vnam dictus probus vir qui pro tempore erit, augendo & diminuendo quando res augebitur & diminuetur, & omnia reponantur in tuto loco & competenti ad eorum conſeruationem, & quod dictus probus vir & Commēdatarius quilibet teneat vnam clauem magazeni. Inſuper eliget dictus Admiratus vnum ſcribam & deputabit eum dicto officio tercinalis, qui teneat regiſtrum ad præceptum Admirati omnium rerum, quę ſunt intra dictum tercinale pertinentium ad artem marinariam. Quę non debeant remoueri à locis ſolitis: Et toties quo- XXXIII

ties vo-

ties voluerit dictus Admiratus ſcire à ſcriba quæ res ſint in dictis locis, vel ſi ſint bene cuſtoditæ & in bono ordine, poſſit ad ſuum placitum facere: & ſimiliter idem magnus Commendatarius: Et quod pręfatus probus vir & ſcriba ſubiaceant iuriſdictioni ipſius Admirati qui eos deponere à dicto officio & in eodem conſtituere poſſit. Et quod omnes cędulæ ex penſarum ſint ſigillatę ſigneto dicti magni Commendatarij, ſicut ſolitum eſt. Dictus commendatarius Tercinalis & voltæ habeat gagia florenorum viginti & ſimiliter probus vir; Scriba autem gagia ſolita, Intelligendo quod nullo modo poſſint ſupradicti extrahere à dicta uolta Tercinalis aliquid, ut puta remos, ſtupas, uela & cętera ſupradicta ſine licentia Magiſtri: niſi fuerint proarmamentis galearum & fuſtarum religionis, Dicti autem commendatarius voltę & probus vir mutentur biennio in biennium ſicut cæteri officiales.

## *DE INSTITVTIONE MAGNI CANcellarij noui Baiuliui.*

IDEM MAGISTER.

XXXIIII. INſtituimus & creamus alium Baiuliuum conuentualem qui octauus ſit & poſtremum locum poſt ſeptem alios Baiuliuos conuentuales teneat, & magnus Cancellarius nuncupetur. Ipſe autem Baiuliuus magnus Cācellarius, ſtipendijs baiuliuorum conuentualium gaudeat, & hanc Baiuliuatus dignitatem perpetuo concedimus atque aſcribimus Vener. linguæ Hiſpanię quam in duas linguas ſub vna albergia conſtitutas diuidimus, quod Natio ipſa militibus ordinis noſtri fulcita ſit ornatiſſimis & de noſtro ordine benemerita. Non præiudicantes per hoc quouis modo nominibus, honoribus, dignitatibus, pręſidentijs & præheminentijs, pręrogatiuis, & vtilitatibus aliorum Baiuliuorum conuentualium & linguarum, ac Theſaurarij generalis cui ex officio incumbit bullam communem ferreā cuſtodire, ſed ſingulis pędictis fortiori munimento roboratis reuocantes, caſſantes & annullantes (conſentientibus ad hoc vniuerſi, linguarum fratribus) quaſuis ſcripturas, literas, & bullas promiſſionum, & obligationum dudum quouis modo ratione diſcordiarum inter ſeptem linguas vigentium confectas. Quibuſcunq. ſtatutis, conſuetudinibus, vſibus, & naturis ordinis noſtri & quibus uis alijs in contrarium facientibus in aliquo non obſtantibus.

## *DE ELECTIONE MAGNI CANcellarij.*

IDEM MAGISTER.

XXXV. VT Baiuliuus magnus Cancellarius nuncupatus, forma qua cęteri Baiuliui ordinantur, eligatur: nec ad ipſius Baiuliuatus apicem quiſpiam aſſumatur niſi ſcribere & legere ſciat, ſtatuimus, atq. decernimus.

## DE PRÆHEMINENTIIS MAGNI Cancellarij.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, vt magnus Cancellarius virum doctum & idoneum Vicecancellarium habeat cancellariæ noſtrę exercitio deputatum, & vacāte vicecancellariatus officio, duos vel plures fratres ordinis noſtri doctos, idoneos, & ad ipſum exercitium ſufficiētes ſucceſſiue Magiſtro & Cōcilio ordinario præſentet, ex quibus vnum Magiſter & concilium acceptabunt. XXXVI

## DE OFFICIO VICECANCELLARII.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quod Vicecancellarius prouiſiones quaſcumq. cancellarię expediat, ac more ſolito ſignare debeat, & eius fructus redditus, & emolumenta recipiat, prout hactenus Cancellarij recipere conſueuerunt. Nec litterę bulla communi plumbari poſſint, niſi magnus Cancellarius ſeu eius locumtenēs pręſens fuerit in Concilijs, qui literas bulla communi munitas dumtaxat ſub plica gratis ſignabit, ſaluo iure ſeneſcallatus. XXXVII.

## DE SCRIPTVRIS CANCELLARIÆ.

IDEM MAGISTER.

QVia cancellariæ ſcripturę omnibus ad iura ſua tutanda ſunt communes: ideo ſtatuimus, quod Vicecancellarius abſque alia licentia ſcripturas & extracta ex libris cācellarię petentibus dare, ſi ad eorū cauſam pertineant, ſaluo iure cancellariæ, teneatur. XXXVIII

## DE RESIDENTIA BAIVLIVORVM conuentualium.

F. PETRVS DAVBVSSON.

BAiuliui conuentuales tamquam viri conſulares Magiſtro adeſſe debent quorum conſilio & prudentia negotia ordinis noſtri dirigantur. Quare eos abeſſe à conuentu non decet. Sed cum ſæpe accidat, re aut tempore ita poſtulante, vt quoſdam ex illis neceſſe ſit ab ipſo conuentu diſcedere. Statuimus, quod hoc caſu tres tantum Baiuliui conuentuales ſecundum gradum & ordinem ſuū poſſint à cōuentu abire, ita tamē quod intra annos tres à die ſui receſſus ad ipſum conuentum redire teneantur. Quod ſi facere omiſerint, eo ipſo & abſq. alia monitione aut citatione ſuis Baiuliuatibus priuati cenſeantur, ad quos alij per Magiſtrum & concilium ordinarium eligi poterunt. XXXIX

## ELECTVS ABSENS A CONVENTV IN *Baiuliuum conuentualem infra duos annos ad conuentum accedere teneatur nec magnam crucem aſſumat extra conueutum.*

### F. IOANNES DE HOMEDES.

XXXX. QVi autem abſentes à conuentu in Baiuliuos conuentuales electi fuerint, in termino duorum annorum à die ſuæ electionis numerandorum ad cõuentum accedere teneantur, & interim prærogatiuis & præheminentijs Baiuliuorum conuentualium in conſequendis dignitatibus & beneficijs ordinis vti poſſint. Aliter dicto termino elapſo, niſi præſentes in conuentu fuerint, nulla Baiuliui conuentualis prærogatiua potiantur. Quinimo dictis Baiuliuatibus eo ipſo ſine aliquia citatione aut monitione priuati cenſeantur. Et magiſter & concilium ad alterius electionem eius loco procedere debeant, ſalua tamen ſmutitione linguarum: Adijcientes quod ſupradicti qui à conuentu abſentes in Baiuliuos conuentuales electi fuerint, magnam crucem ſibi aſumere & geſtare non præſumant, donec in conuentu coram Magiſtro & concilio ſe præſentauerint.

### F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

XXXXI HAC tamen lege quod elapſo anno cum dimidio à die electionis, teneantur ſoluere eorum locatenentibus ſummã ſcutorum quinquaginta auri ſingulis menſibus pro ſuſtinendis albergiarum ſumptibus, quod ſi in termino duorum annorum, vt præfertur, non uenerint iuxta ſupraſcriptum ſtatutum priuati cenſeantur.

## QVANDO MARESCALLVS PARCERE *poteſt iudicatis.*

### CONSVETVDO.

XXXXII. SI Mareſcallus fecerit quærelam de fratre, & poſuerit eum in iuſtitia, poteſt eam remittere & parcere antequam exeat eccleſiam, & nõ poſt: & ſi Mareſcallus fecerit quærelã de fratre, fratres poſſunt præcari pro delinquente, & Mareſcallus poteſt parcere ante ſonum campanę. Sed poſt, venia reſeruatur Magiſtro uel ſuo locũtenenti. Item ſi Mareſcallus uel alius commendatarius facit quærelam ex mandato Magiſtri, tunc eam non poteſt remittere vel parcere: & ſimiliter de præcepto facto ex ordine Magiſtri.

## F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, quod Mareſcallus fratrem aliquem militem ſibi beneuiſum officio confalonerij ſiue vexilliferi loco ſecularis deputare poſſit, non obſtante quocumq. ſtatuto vel conſuetudine in contrarium faciente. XXXX III.

## QVOD NVLLIS QVAM BAJVLIVJS CONuentualibus ancianitates ad dignitates concedantur.

## F. IOANNES DE VALLETA.

LItium ac controuerſiarum omnium materiam ac occaſionem quæ hactenus ſuper antianitatibus ad dignitates inter fratres noſtros ortę ſunt pręſcindere ac euellere cupientes, Decernimus, & prohibemus nemini in poſterum prærogatiuam aut expectatiuam ſeu quas antianitates vocamus, ad prioratus, caſtellaniā empoſtæ, & Baiuliuatus cōcedi, niſi Baiuliuis cōuentualibus, ad quos iure & cōſuetudine noſtra huiuſmodi dignitates ante alios ſpectant & pertinēt: quod ſi aliquādo vrgens neceſſitas aut euidēs vtilitas Prioratū aut linguarū, quarū huiuſmodi dignitates erūt, id faciendū expoſtulet, ordiniſq. noſtri vt præfatę dignitates alijs dentur, non aliter quam cauſa prius per Magiſtrum & conciliū examinata, & de conſenſu fratrum linguarum, aut Prioratuum, aut Caſtellaniæ empoſtæ, ad quos nominatio pertinebit, & perſonis noſtri ordinis antianis & benemerentibus & in quibus eę qualitates concurrant quæ per ſtabilimenta noſtra in perſonis dignitatum capacibus requirūtur, & demum ſine pręiudicio Baiuliuorum conuentualium concedantur; exceptis cōcordijs forſam in aliquibus linguis ſeu prioratibus initis & factis, in quibus aliter, ac contra formā præſentis decreti inter fratres ipſorum conuentum eſt. XXXX IIII.

## DE LJNGVARVM BAIVLIVORVM AC Priorum numero.

## CONSVETVDO.

QVamuis ordo noſter à ſuæ originis inſtitutione, cum rerum amplitudinem comparaſſet, conſiliarios quoſdam titulis dignitatum ornatos Magiſtro aſſiſtentes haberet; neceſſarium tamen viſum eſt ſuccedēte tempore, linguas & prouincias diſtinguere & partiri; Baiuliuos ampliare, Priores inſtituere, vt ſuis limitibus ac dictionibus Religioſi coarctati, quietius profeſſioni & Regimini intenderēt. Hinc ſequuta eſt olim & pro tempore ſuccedētium opportunitate linguarum octo diſtinctio, Baiuliuorum conuētualium qui linguis preeſſent ampliatio, ac Priorum inſtitutio qui prouincijs præſiderent, additique ſunt quidam tituli qui Baiuliui capitulares dicuntur, qui capitulis aſcripti ſunt, concilioq. interſunt. Quorum annumeratio hęc eſt. XXXXV.

LIN-

LINGVÆ Prouinciȩ, Magnus Cōmendatarius: Prior S. Aegidij, Prior Tholoſæ, Baiuliuus capitularis Manoaſcæ, qui ſedente in Magiſtratu fratre Iacobo de Milly fuit inſtitutus.

LINGVÆ Aluerniæ, Mareſcallus, Prior Aluerniæ: Baiuliuus capitularis de Lureil, qui ſedente in Magiſtratu fratre Baptiſta de Vrſinis ordinatus eſt; poſteauero Baiuliuus Lugduni dictus, mutato nomine tempore fratris Phillippi de Villers Lisleadam Magiſtri; nūc vero tempore fratris Ioannis Leueſque de la Caſſiere de Deueſſet, mutato nomine, appellatus eſt.

LINGVÆ Frāciæ, Hoſpitalarius, Prior Franciȩ, Prior Aquitaniȩ, Prior Campaniæ, Baiuliuus capitularis moreȩ iamdudum inſtitutus, Baiuliuus capitularis Theſaurarius generalis, qui ſedente in Magiſtratu fratre Ioanne de Laſtico ordinatus exiſtit.

LINGVÆ Italiȩ, Admiratus: Prior urbis, Prior Lōbardiȩ, Prior Venetiarū, Prior Piſarū, Prior Baroli, Prior Meſſanæ, Prior Capuȩ; Baiuliui Capitulares ſanctȩ Euphemiȩ, Sancti Stephani prope monopolim, ſanctæ Trinitatis de venuſio; Sancti Ioannis de Neapoli iam dudum inſtituti.

LINGVÆ Aragoniæ, Cathaloniæ, & Nauarræ; Magnus Conſeruator, ſedente in Magiſtratu fratre Ioanne de Homedes ſic dictus, Caſtellanus Empoſtæ, Prior Cathaloniȩ, Prior Nauarræ, Baiuliui capitulares, Maioricarū qui ſedente in Magiſtratu fratre Antonio Fluuiano, & de Caſp ſedēte Magiſtro fratre Baptiſta de Vrſinis inſtituti fuerunt.

LINGVÆ Angliȩ, Turcopolerius, Prior Angliæ, Prior Hiberniæ, Baiuliuus capitularis Aquilȩ.

LINGVÆ Alemaniæ, Magnus Baiuliuus, Prior Alemaniæ, Prior Bohemiȩ, Prior Vngariȩ, Prior Daciæ, Baiuliuus capitularis de Brādeburgh.

LINGVÆ caſtellȩ, legionis, & portugalliȩ: magnus Cācellarius, Prior caſtellæ & legionis, Prior portugalliȩ, Baiuliuus capitularis de lora, ſedēte in Magiſtratu fratre Ioanne de Valletta, Baiuliuus langonis, ſeu de Leça, ſedente fratre Petro de Monte inſtitutus, & Prioratui Portugalliæ perpetuo unitus: Baiuliuus de las nueueuillas ſedente fratre Ioāne Leueſque de la Caſſiere inſtitutus.

CApitulares autem Baiuliui, Prior eccleſiȩ ordinis, & Præceptor Cypri, communes ſunt omnibus linguis: Baiuliuus uero capitularis Negroponntis communis eſt duabus linguis Aragoniȩ, & Caſtellæ ex concordia inter eos habita.


VIRTVS. AVCTORI-
TATE. PRIOR.
VNO AVVLSO

# DE PRIORIBVS.

## TITVLVS VNDECIMVS.

## *DE LOCVMTENENTIBVS PRIORVM.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

VTres ordinis noſtri melius & diligentius adminiſtrentur, Priores & Caſtellanus empoſtæ, cum à ſuis Prioratibus aut caſtellania empoſtæ diſcedent, debent conſtituere & nominare aliquem fratrem militem ordinis noſtri, de antianis eiuſdem Prioratus, ſufficientem, idoneum, habilem, benemerentem & capacem, ac rerum ordinis noſtri experientem Locumtenentem & Vicarium ſuum. Qui in eorum abſentia Aſſembleas conuocet & congreget, & petentibus iuſtitiam miniſtret; in capitulis prouincialibus interſit, aliaque omnia circa communia negocia exequatur, quæ ad officium Prioris & Caſtellani empoſtæ pertinent. Si autem Prior preſens fuerit, & aliquo legitimo impedimento detineatur, tunc enim capitulis prouincialibus & aſſembleis præſideat Baiuliuus, ſi quis adfuerit, vel frater magis antianus. I.

## *DE MODO ELIGENDI LOCVMTEnentes Priorum.*

### F. HVGO REVEL.

STatuimus, quòd Prioribus & Caſtellano empoſtæ in partibus vltra marinis vita functis, Cõmendatarius, in cuius cõmenda mortẽ obierint, duodecim commendatarios alios, ſi tot reperire poterit: ſin minus quanto plures poterunt inueniri in ipſo Prioratu & Caſtellania empoſtę viciniores & propinquiores ipſius commendæ congregare & conuocare debeat; qui vnà congregati, maturo cõſilio prehabito, aliquem ex fratribus dicti Prioratus & Caſtellanię empoſtæ, qui vicem & locum Prioris & Caſtellani empoſtæ teneat, idoneũ & ſufficientem, ac illi adminiſtrationi & oneri aptiorem eligant. Cui quidem ſic electo omnes & ſinguli dicti Prioratus fratres parere & obedire teneãtur; quouſq. obitus eius Prioris & Caſtellani empoſtę ad notitiam Magiſtri & conuentus peruene- II.

rit,& aliter ab eis fuerit prouiſum. Si autem Prior & Caſtellanus empoſtæ extra limites ſui prioratus & caſtellaniȩ empoſtæ in alio quouis loco prӕterquam in cō uentu defunctus fuerit, is quem ipſe à Prioratu & caſtellania empoſtæ diſcedens locumtenentem ſeu vicegerentem ſuum reliquerat, etiam duodecim fratres conuocare procuret, qui electionem locumtenentis, prout ſupradictum eſt, faciant.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

III. SI autem Prior vel Caſtellanus empoſtæ obierit in aliqua commendarum ſuarum Prioralium, Commendatarius propinquior tali cameræ eodem modo & forma duodecim Commēdatarios vocabit, qui Prioris locumtenentem eligent. Si vero Prior de ſuo prioratu diſcedens, nullum locumtenentem reliquerit & mortuus fuerit, eo caſu aliquis frater magis antianus fratres modo ſupra declarato conuocet, & cum eis ad electionem locumtenentis procedat.

## NVLLVS FRATER POTEST ESSE Locumtenens Prioris alieni Prioratus.

IDEM MAGISTER.

IIII. SAncitum eſt quòd nullus Prior poſſit eſſe locumtenens alterius Prioris, aut in alieno prioratu præeſſe: neque frater quiſpiam alius qui non habeat commendam in iuriſdictione illius prioratus, in quo vices Prioris geret, & ſit in eo prioratu receptus, præterquam in linguis Prouinciæ & Italiæ, vbi Prioratus & commendȩ ſunt communes.

## DE IVRISDICTIONE PRIORVM.

IDEM MAGISTER.

V. PRiores & Caſtellanus empoſtæ ciuilem & criminalem iuriſdictionem & correctionem regularem habent vna cū Capitulo prouinciali ſeu aſſemblea in omnes fratres ordinis noſtri, cuiuſcumque qualitatis fuerint, qui in limitibus ſuorum prioratuū aut Caſtellaniæ empoſtæ commorantur, aut in eis reperti fuerint; qua quidem ſemper vſi ſunt & vti poſſunt, ſeruata forma ſtatutorū noſtrorum, non derogando iuriſdictioni commendatariorum in fratres capellanos obedientiæ & ſeruientes officij vel ſtagij, qui in ſuis commendis obedientiā vel ſtagium habent, nec auctoritati & iuriſdictioni Prioris eccleſiæ conuentus in fratres capellanos à ſtatutis noſtris illi conceſſæ.

## QVOD FRATRES CAPELLANI ET Clerici ſubſint obedientiæ Prioris eccleſiæ.

F. GVLLIELMVS DE VILLARETO.

VI. PRior eccleſiæ qui capellanis & clericis præeſt, optima ratione in eos iuriſdictionē exercet. Hinc eſt quòd fratres capellani & clerici ordinis noſtri

in conuentu exiſtentes,& qui pro tempore ex partibus vltramarinis in conuentũ venient,ſint ſubditi Prioris eccleſię pręceptis; exceptis capellanis Magiſtri. Prior autem ijs qui ſub eius poteſtate ſunt conſtituti,poteſt iniungere,vt officium eccleſiæ diligenter celebrent,confeſſiones audiant, Euchariſtiam fratribus & confratribus præbeant,& cętera eccleſię ſacramẽta adminiſtrent; ſi ea alijs prępeditus negocijs vel cauſis Prior ipſe exequi nequierit.

## QVOD PRIORES IN SVIS PRIORATIbus & commendatarij in ſuis commendis habent iuriſdictionem ſuper fratres capellanos.

### F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

IMpunitas plerumque mali occaſionem affert,& nonnulli ob correctionis abſentiam proniores ad delicta committenda redduntur. Cum itaque Prior eccleſię conuentus,qui in capellanos delinquentes iuriſdictionem exercet, in conuentu aſſiduam gerit reſidentiam: propter quod eius abſentia obſiſtenteſuper delictis capellanorum extra conuentum in Prioratibus & commendis degentium commode prouidere & ipſos corrigere quoties neceſſarium exiſtit,non poteſt: Ideo ne occaſio delinquendi prębeatur,ſtatutum eſt,quod Priores & Caſtellanus empoſtę in prioratibus ſuis,& commendatarij in commendis quas poſſident,ſuper fratres capellanos in ipſis reſidentes iuriſdictionem pro delictorũ qualitate & correctionem exerceant,toties quoties deliquerint; quemadmodum Prior eccleſię in conuentu facere conſueuit. Vbi autem ipſi capellani extra conuentum degẽtes per Priores & commendatarios ſuos ſuperiores ſuper eorum delictis admoniti fuerint,& nihilominus perſeuerarint, poſſunt per Priores corrigi & puniri prout fratres milites & ſeruientes Religionis delinquentes ſecundum formam ſtatutorum puniuntur. Si tamen Prior eccleſię in partibus occiduis ac Prioratibus & commendis pręſens aliquando fuerit,vbicumque perſonaliter adfuerit,iuriſdictionem in fratres capellanos exerceat,eoſq. corrigat; Viſitet quoq. & reformet eccleſias,diuinumque officium diligenter fieri ordinet,ac defectus corrigat;non obſtantibus ſupradictis,quę nullo pacto Prioris eccleſiæ iuriſdictioni, cum præſens fuerit,præiudicium generent. VII.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

IN fratres tamen cappellanos & ſeruientes armorum in conuẽtu receptos nullus iuriſdictionẽ exercere poteſt,præter Priorem & Caſtellanum empoſtæ cum Aſſemblea vel capitulo prouinciali,vt in militibus ordinis noſtri fieri conſuetum eſt: Si quis contrafacere præſumpſerit pro inobediente habeatur. VIII.

### IDEM MAGISTER.

PRIOR autem Eccleſiæ deputare, nominare, & eligere poteſt in Prioratibus, Caſtellania empoſtæ, Baiuliuatibus, & Commendis, Religionis Prouiſores, Vicarios, & Viſitatores ec- IX.

eccleſiaſticos ad exercedam iuriſdictionem eccleſiaſticam & ſpiritualem in capelanos, & clericos ſæculares & laicos ſubditos & vaſſallos religionis noſtræ & hoc vbi Priores, caſtellanus empoſtæ, Baiuliui & commedatarij nullam habent iuriſdictionem ſpiritualem, nam illam habentes ipſi vicarios huiuſmodi conſtituere poterunt.

## QVOD PRIORES NON HABENT *auctoritatem priuandi fratres habitu, commendis, membris, vel ancianitate.*

### IDEM MAGISTER.

X. VEtitũ eſt Prioribus, Caſtellano empoſtę, & capitulo prouinciali ne in quẽquam fratrum noſtrorum ſuæ iuriſdictioni ſubditorum priuationis habitus, commendæ, membri, beneficij, & aliorum bonorum, aut ancianitatis, vel perpetui carceris ſententiã ferãt. Si quis enim in eã penã incidiſſe repertus fuerit, Prior, caſtellanus empoſtæ, & capitulum prouinciale vel aſſemblea, confecto eius proceſſu, Magiſtrum & concilium de eo certiorem facient; qui prout iuſtum fuerit, prouidebunt: Quod ſecus actum fuerit, irritum ſit, & qui contrafecerit pro inobediente habeatur.

## DE REGISTRIS FACIENDIS PER *Priores.*

### F. ELIONVS DE VILLANOVA.

XI. TEnẽtur Priores, & Caſtellanus empoſtę fieri facere duo regiſtra de valore omnium commendarum, Domorum, locorum, prædiorum, poſſeſſionum & beneficiorum ſui prioratus tam in Capite quam in membris particulariter & nominatim. Quorum regiſtrorum vnum mittatur Magiſtro & conuentui: & alterum Priores cuſtodiant. De quibus etiam Commendatarij vnum tranſumptum habeant; de ijs videlicet quæ pertinent ad commendas quas poſſident.

## DE ARCHIVIS PER PRIORATVS *faciendis.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XII. STatuimus, vt Priores & caſtellanus empoſtę ſub pęna perditionis fructuũ vnius anni ſui prioratus communi ærario applicandorum deputent aliquem locum tutum & ſecurum in primaria & principali domo prioratus, & caſtellaniæ empoſtæ, aut alia quæ eis ad id commodior & tutior videbitur, & archiuũ vnum conſtrui faciant impenſis tam Priorum ipſorum & Caſtellani empoſtæ, quam commendatariorum, in quod reponantur omnia priuilegia, inſtrumenta, acta, & literæ authenticę tam prioratus & Caſtellanię empoſtæ, quam com-

menda-

mendarum & beneficiorum quæ in eorum limitibus ſunt. Et quod Commendatarij dictarum commendarum, qui dicta inſtrumēta, titulos, priuilegia, aut literas apud ſe habent: ea in eundem locum conferre teneantur, & ad id cogantur a prioribus & caſtellano empoſtæ perſequeſtrationem fructuum commendarum & adminiſtrationum quas poſſident quę noſtro communi ærario applicentur; donec paruerint. Poterunt tamen commendatarij apud ſe retinere tranſumpta dictarum literarum & priuilegiorum.

## DE SIGILLIS PRIORVM.

### F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

AD euitandas fraudes & dolos: Iubemus, vt Priores & Caſtellanus empoſtæ ſigillorum ſuorum prioratuum impreſſiones, caracteres, & ſculpturas in cæra in capſa bene compacta repoſitas ne alteratione recipiant, Magiſtro & conuentui mittere teneantur. Quę poſtea in conuentu in loco ærarij ſub ſigillis Magiſtri & Baiuliuorum conuentualium cuſtodiantur, vt his ſigillorum caracteribus pro rerum ingruentia ad fraudes reijciendas vti poſſint. XIII.

## DE CVSTODIA SIGILLORVM prioratuum.

### F. ANTONIVS FLVVIANVS.

VOlumus & ſtatuimus, quod ſigilla prioratuum cuſtodiantur & ſeruentur ſub ſecretis ſignetis priorum & caſtellani empoſtæ & commendatariorum capituli ſiue Aſſembleæ prouincialis, vel maioris partis ipſorum: & quod nullæ literę aliquo pacto ſigillari poſſint niſi in pręſentia Prioris & commendatariorum in capitulo ſiue aſſemblea prouinciali exiſtentium. Quodq. in literis ſigillatis ſub plica quatuor ad minus commēdatarij ſe ſubſcribant, quod ſi ſecus factum fuerit nullius roboris & momenti eſſe cenſeantur: Si autem literæ obligationum per aliquos commendatarios & fratres factę fuerint, tales quoque literæ modo prædicto ſubſcribātur; Decedentibus quoque commendatarijs, aut fratribus debitoribus, ſi debita perſoluta non fuerint, qui ſubſcripti fuerint ad ea debita perſoluenda expreſſe ſint obligati: ne talia debita in detrimentum communis ærarij quiſpiam facere præſumat. XIIII.

## QVOT PRIORES RESIDERE DEBENT in conuentu.

### F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quod tres Priores ordinis noſtri ſecundum gradum vocationis ſuæ à Magiſtro & conuentu faciendę per biennium, a die quo in conuentū appulerint incipiendum, in eo perſonalem reſidentiam facere teneantur. Quod ſi aliqui contumaces fuerint, pro dicto biennio quo in conuentu reſidere tenentur, fructus melioris & propinquioris cameræ prioralis de his quas poſſident communi ęrario noſtro applicentur: XV.

PRIO-

## *PRIORES ET BAIVLIVI NON VTANtur præheminentijs quouſq; diligentiam adhibuerint conſequendi earum poſſeſsiones.*

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

XVI. PRiores, Caſtellanus empoſtæ, & Baiuliui honoribus & prȩheminentijs ſuarum dignitatum non gaudeant, donec debitam ſe diligentiam adhibuiſſe de conſequenda ipſarum poſſeſſione Magiſtro & concilio authenticæ cōſtare fecerint. Quod cum oſtenderint, ad Magiſtri & concilij diſcretionem dictis honoribus vti poterunt.

CARITATE VIGILANTIBVS,
ET FORTI TVDINE.



# DE OFFICIO FRATRVM

## TITVLVS DVODECIMVS.

### QVOD OFFICIA ORDINIS NOSTRI *Fratribus committantur.*

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

VOLVMVS, quòd officia ordinis noſtri Fratribus noſtris idoneis committantur, qui ea exerceant. Si tamen fratres ad ea officia exercenda pro tempore apti non reperientur; Magiſter & concilium ſæculares perſonas idoneas ad ipſa exercenda, ad tempus poterunt deputare. I.

### QVOD FRATRES SERVIENTES *ſolita officia exerceant.*

F. IOANNES DE LASTICO.

VOlumus, quòd fratres ſeruientes, armorũ officia quę pro conſuetudine ſibi ſpectant, prout ſunt volta, granarium, parua cõmenda, & alia officia ſuo ſtatui conſueta, regant & adminiſtrent. Frater quoque miles qui ea poſtulabit reputetur ex eodem gradu & ordine Fratris ſeruientis; & nihilominus illud officium aſſequi non poſſit, niſi Magiſtro & cõcilio ad illud exercendum aptus & idoneus videretur. Quibus peractis, per eos quibus ſpectat, probi homines ordinentur, qui dictorum officiorum reformationi attendant; & qui deliquerit, pro delicti exigentia puniatur. Quolibet quoque biennio dicti officiales mutentur. II.

### DE CVSTODIA FORTALICIORVM.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

DEputentur ad arcium & fortaliciorum noſtrorum cuſtodiam Fratres milites & ſeruientes ordinis noſtri. Quòd ſi non reperientur, deputentur ſæculares fideles & idonei in fratrum abſentia. III.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

STatuimus, quòd Fratres ordinis noſtri preficiantur à commendatarijs, cuſtodijs fortaliciorum & caſtellorum ordinis noſtri in partibus occiduis ſine damno & onere communis noſtri ærarij. IIII.

## DE HONESTO VESTITV FRATRVM.

### F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

V. DEcet viros Religioſos animæ & corporis mundiciam atque honeſtatē ſummo ſtudio obſeruare. Hinc eſt quod diſtrictius iniungimus fratribus ordinis noſtri, vt decentes atque honeſtos habitus deferant, qui congruere videantur veris religioſis. Prohibentes ne de cætero quouis colore excuſationis quęſito, audeant portare tunicas vel habitus indecentes, ſed vtantur tunicis & habitu longo & decenti honeſte ordinato. Breui autē veſte quæ ſit etiam honeſta non vtantur niſi in itinere, vel in triremibus, aut alijs nauigijs, vel in gardijs & cuſtodia fortaliciorum Religionis. In conuentu autem & caſtello ac extra ad miliare, non vtantur breui veſte niſi de licentia Magiſtri aut Mareſcalli, qui licentiam non det niſi vrgente neceſſitate, videlicet ob exercitium alicuius publici officij, aut caſu obſidionis, vel parandæ ciuitatis ad tuitionem in euentum rumoris belli. Si quis autem contrafecerit pœna ſeptenæ puniatur, & indumēta hanc limitationem excedentia eo ipſo perdat, quæ communi noſtro ærario applicentur.

## DE EODEM.

### F. PETRVS DAVBVSSON.

VI. DEcet, vt qui dignitate & prærogatiua Religionis prędıtus & inſignitus eſt à ſæcularibus habitu ſeparetur & dignoſcatur. Adhærentes igitur ſtatutis prædeceſſorum noſtrorum: Statuimus & ordinamus, quod deinceps nullus fratrum noſtrorum audeat, ſeu præſumat in conuentu extra exercitium armorū ferre more ſæcularium, cappas, veſtes, robbas, caligas, diploides ſiue porpones, & ſayos (quos bendatos & bigarratos appellant) ex varijs coloribus inhoneſtis, etiam quod dictæ diploides ſiue porpones ſint exercitio armorum apti. Atq. mandatur vt vnaquæq. veſtis diplois, cappa, caligæ, roba & ſayus ſint vnius coloris. Si quis autem contrafecerit pęna ſeptenæ puniatur, & indumenta hanc limitationem excedentia eo ipſo perdat, quæ communi noſtro ærario applicentur.

## QVOMODO FRATRES IN ALBERGIIS gerere ſe debeant.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

VII. PRæcipimus fratribus noſtris, vt Baiuliuos ſeu capita albergiarū reuereantur & honore proſequantur, atque in ipſis Albergijs vbi comedunt modeſte & temperate ſe gerant, nullamq. turbationē, tumultum, aut ſtrepitum faciant, ſed quiete & in ſilentio comedant; a menſa non ſurgant priuſquam ab aliquo capellano gratiæ Deo actæ fuerint, quas ſtantes audire debeant, niſi legitima cauſa, & impetrata à Pilerio licentia. Qui contrafecerit pro prima vice ſit in ſeptena, pro ſecunda in quarantena, pro tertia in turri ad voluntatem Magiſtri & concilij.

## *QVOD FRATRES IN ARMIS SE exerceant.*

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

VT libentius & alacrius fratres noſtri in armis ſe exerceant, præcipimus, quòd duæ gioiæ ſiue brauia ſingulis duobus menſibus apponantur, hoc eſt vno menſe vna pro ludo baliſtarum, altero menſe altera pro ludo ſcloporum, & ſingulis duobus menſibus ſequenter. VIII.

## *QVOD FRATRES QVOLIBET ANNO conficiant deſpropriamentum.*

### IDEM MAGISTER.

STatuimus, quòd Priores, Baiuliui, Commendatarij, & fratres, quolibet anno deſpropriamentum facere teneantur, in quo res & bona eorũ quæcunque debita etiam & credita, ac ſtatus omnis ſuarum facultatum contineātur. Qui extra conuentum erunt illud ad capitulum prouinciale portare teneantur: vt in capſam publicam ad id deputatam, clauſa & ſigillata reponantur. Qui in conuentu degent in manibus Magiſtri aut procuratorum communis ærarij etiam clauſa & ſigillata conſignabunt. Quæ quidem deſpropriamenta, viuentibus illis non aperientur. IX.


ELECTI ELECTORI
HONOS LAVS.

# DE ELECTIONIBVS
## TITVLVS DECIMVSTERTIVS.

### *FORMA ELECTIONIS MAGISTRI Hoſpitalis Hieruſalem.*

OPTIMA ratione ducti noſtri anteceſſores prudenter & caute ad Magiſtri electionem procedere conſueuerunt: In capite namque, & ſuperiore deſignando atque eligendo ſtatus ordinis conſiſtit, multumq. refert qualis tàm nobili cætui præſideat, ac Religionis adminiſtrationem teneat. Hæc igitur norma in Magiſtri electione à maioribus noſtris ſancita traditaq. ſeruanda eſt. Magiſter cum graui morbo implicitum ſe cognoſcit debet pro ordinis indemnitate bullæ ferreæ & argenteæ cuneos, ſignetum quoque ſecretum quib us vti ſolet, alicui probo, diſcreto, & idoneo religioſo commendare, aut aliter tuto loco reponi iubere; ne his fraudulenter aliquis vti poſſit. Quòd ſi præpeditus ægritudine, aut aliter facere negligeret, qui Seneſcalliæ præeſt id effici procuret, & ſtudeat. Ipſo vita functo, qui ea in cuſtodia habet, illico ad concilium ordinarium deferat, vbi franguntur, vt eorum vſus pænitus pereat. Demum funeris pompa pro more cum decore & deuotione ordinetur. Qua peracta, congregetur concilium completum, in quo locumtenens Magiſtterij eligitur, cuius officium vſque ad electionem præceptoris electionis perduret. In quo quidem concilio completo res & negocia ad Magiſteriũ pertinentia proponentur tractabuntur, & concludentur, & quòd ab eo ſuper id deliberatũ, & concluſũ fuerit habeat vim, & efficaciã capituli generalis, Poſtea, bonorũ ſpolij diuiſione cũ bonis ſtatus tuto ſeruatorum in aliud tempus dilata, in diei ſequentis aurora ſigno campanæ publica Aſſemblea conuocatur. Magiſterij quoque locumtenens, ac fratres in conuentu cõmorantes in eccleſia conueniunt, vbi poſt miſſarum ſolemnia peracta more & loco ſolito publicarum aſſemblearum locumtenens ipſe præſideat. Baiuliui quoq; & Priores, ac proceres pro ordine conſueto ſedeant, cauſa quoque congregationis locumtenentis organo explicata, iubeat omnes fratres octo linguarum ſeparatim congregari. Qui ſuo ordine ( excepto quod illius linguæ fatres cuius locumtenens eſſe cenſetur vltimo iurent) in præſentia ipſius locumtenentis ſeu vicegerentis totiuſque aſſembleæ ſolemni iuramento ſuper crucem habitus præſtito aſtringantur, quòd vnum fratrem ex ſua lingua illic præſentem, idoneum, & probum pro electionario præceptoris electionis & trium electionariorum Magiſtri; ſcilicet militis, capellani, & ſeruientis armorum eligent, in cuius electione vtetur ballotis ſecretis. Facta octo fratrum ipſo ordine electione, ipſi octo electionarij reuerenter coram vicegerente comparebunt, genibuſque flexis tota aſſemblea audiente & conſpiciente, tactis ſacris euangelijs iurent, quòd ritè & iuſtè I.

vnum fratrem militem, probum, diſcretum & idoneum ex tota aſſemblea vel ex ipſis in præceptorem electionis eligent. Hi ſiquidem iuramento adacti conclauim intrant vbi præceptorem electionis, interueniente ſcrutinio ballotarum eligunt, & demum ſic electum locumtenenti & aſſembleæ ſignificant: Qui verò in præceptorem electionis deſignatus fuerit reuerenter genuflexo coram vicegerente com pareat, iuretque ſub forma prætacta quòd præceptoris electionis officium ritè iuſtèq. exercebit. Eo ipſo vicegerens Magiſterij officio ſe abdicat, & Præceptor electionis præſidet. Coram quo electionarij octo prædicti iterum iuramentum in præfatam formam præſtabunt; quòd vnum fratrem militem, vnum fratrem capellanũ, & vnum fratrem ſeruie ntem armorum, idoneos, probos, & ſufficientes pro tribus electionarijs alioru m co llegarum electionariorum Magiſtri nominabunt, & eligent. Ipſum quoque iuramentum præceptor electionis in manibus vicegerentis pręſtabit, ſi de numero octo præfatorum fuerit; aliter enim in aſſemblea remanẽs præſideat. His completis, octo electionarij ſic iuramento adacti, conclauim intrãt, vbi ſecretò tres huiuſmodi electionarios Militem, capellanum & ſeruientem cum eodem ſcrutinio ballotarum eligent. Quibus electis, Præceptori electionis, ac toti aſſembleæ delectos ſignificant, intimantque. Electione triumuiratus, videlicet, Militis, Capellani, & Seruiẽtis promulgata, octo electionarij officio functi cenſen tur, ac ipſi tres Religioſi, Miles capellanus & ſeruiens coram Præceptore electionis, cętuq. publico comparentes, forma prætacta iuramento ſe adigunt, quòd iuſtè riteque reliquos electionarios Magiſtri hoc ordine eligent, videlicet quartum ex alia lingua quam ex ſuis; & quartus electus modo pręmiſſo iuramento adſtrictus ad tres accedit, ipſique quatuor quintum, & ſic deinceps vſque ad octo ſemper ex alijs linguis, ita quo d poſterior electus pro electione ſequentis addatur prioribus. Octo quoque ſic electi nonum eligent, & decimum ipſi nouem, & ſic vſque ad numerum ſexdecim tãtum, ita quòd ex qualibet lingua ſint duo fratres; in quibus nullus Baiuliuus ſeu alius magnæ crucis intereſſe poſſit. Facta enim electione octaui, reliqui ſumuntur per gradum & ordinem linguarum. Si autem aliquo caſu contingente aliqua lingua his duobus ob defectum fratrum ſupplere nõ poſſet; ex alia ſumantur. In eadem autem electione & ex electionarijs poſſint eſſe duo capellani, & tres ſeruientes, & non plures, ſed omnino debet eſſe vnus capellanus, & vnus ſeruiens ad minus; cæteri verò milites exiſtant, omnes quoque ſint legitimo matrimonio nati. Inter hos ſexdecim electionarios Miles ille triumuir qui prius ab octo fuit pro milite electus, qui & electionis miles vocatur, præſidet. Hic quoque Magiſtri electionem cæteris aſtantibus promulgat. Quilibet quoque ſexdecim electionariorum vnico ſuffragio vtitur, excepto milite electionis qui ad euitandam ſuffragiorum paritatem in Magiſtri electione duobus vtitur ſuffragijs: atque ille frater qui maiorem ſuffragiorum partem, hoc eſt, qui plura vota obtinet in Magiſtrum electus ſumptuſque cenſetur. Poſtquam autem dicti ſexdecim hac norma fuerint electi monitu & iuſſu preceptoris electionis confeſſionem ſacerdoti peragunt, Miſſamque deuotè audiunt, & Euchariſtiam reuerenter recipiunt, vt à vitijs purgati & Diuina gratia illuſtrati Magiſtrum dignum, probum, & virtuoſum eligere valeant. His quidem peractis, electionarij ſexdecim coram præceptore electionis ac toto religioſorum cætu aſſiſtente humiliter comparent, reuerenterque nudi capita genua flectunt, ſuperque ſanctum crucis lignum, ſacroſanctaque euangelia & miſſæ præfationem manibus appoſitis quilibet ſingulariter vnus poſt alium alta & intelligibili voce, iuret in hæc verba.

Ego N. promitto & iuro per hoc ſacratiſſimum crucis lignum, & ſancta Dei euangelia, & ſacroſancta præfationis verba omni reiecto odio, timore, amore, præ

mij ſpe,

dicij propriæ rationis nominare & eligere in Magiſtrum Hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolymitani, & vniuerſi ordinis noſtri ex omnibus religioſis ordinis noſtri fratribus militibus tam pręſentibus, quam abſentibus vnum fratrem militem legitimo matrimonio natum, idoneum, probum, virtuoſum,& ſufficientem, Magiſterijq. capacem, & ita iuro & promitto,ſic Deus me adiuuet, & ſacratiſſimum crucis lignum, ſanctæq. Scripturæ quas manibus tango, & ſi contrafecero in periculum & damnationem perpetuam animæ meæ eſſe cenſeatur. Quo peracto lignum oſculetur crucis atque ſcripturas ſacroſanctas. Deinde ſic omnibus electionarijs iuramento adactis, præceptor electionis ac omnes & ſinguli fratres Aſſembleæ ſuper crucem habitus ſui promittant & iurent ſe pro Magiſtro & ſuperiore admiſſuros & ratum ac firmum habituros,quem præfati electionarij pro maiori parte votorum elegerint.

Dicti enim Sexdecim electionarij ſic iuramento adſtricti illico nullos quauis de cauſa alloquentes, aut nutu ſeu ſigno quidpiam ſignificantes à conſpectu pręceptoris electionis & totius Aſſembleæ diſcedũt, locumq. ſecretum adeunt,Conclauimq. intrant, portisq. clauſis, ita vt nulli pateat aditus, de eligendo Magiſtro diſceptant. In conclaui enim omnes electionarij pro libero rationis arbitrio intrepide quòd libuerit proponant, mores, virtutesq. ac vitia doceant, de hisq. diſceptent, Habitoq. diligenti ſcrutinio per tacita ſuffragia, hoc eſt balottas in pixides ſecreto iniectas, Magiſtrum eligunt· tot pixidibus appoſitis, quot fuerint ij de quibus diſceptabitur, prout in concilio ordinatum eſt. Sic qui plura ſuffragia habuerit in Magiſtrum electus cenſetur, quem & non alium electionis miles haud dubio promulgare debeat. Electione peracta, electionarij à conclaui diſcedunt, comparentq. coram pręceptore electionis ac vniuerſo fratrum cætu, trinaq. rogatione facta ſi ratum habet quod egere, terq. affirmantibus gratum habere,tunc electionis miles alta & intelligibili voce,cęteris electionariis aſſiſtentibus,Magiſtrũ nominat & promulgat. Si electus ad fuerit,reuerenter ad altare maius ducitur,vbi ſuper ſtatutorum volumine poſitis manibus promittit & iuramento ſolemni iurat,Regulam,Stabilimenta,& laudabiles conſuetudines ordinis ſe ſeruaturum, & quòd ordinis negocia de conſilio procerum reget,ordinabit & exequutioni demandabit. Si autem electus abſens fuerit, cum ad conuentum venerit,pari iuramento adſtringatur antequam magiſtrali gaudeat præeminẽtia. His peractis, electo abſente concilium completum eius vicegerentem eligit, qui vſque ad magiſtri aduentum officio fungitur,ſi electus præſens fuerit,de locumtenente prouidet.

### F. NICOLAVS LORGVE.

STatuimus,quòd fratres ordinis noſtri in loco vbi electio Magiſtri celebratur, arma geſtare non pręſumãt,ſi quis contrafecerit ſtatim ſuffragio priuetur,& ſi de eo plancta fiat,habitum perdat. II.

## QVOD ELECTIO BAIVLIVORVM ET *Priorum fiat per Magiſtrum & concilium ordinarium.*

### F. PETRVS DAVBVSSON.

EX antiqua cõſuetudine electio Priorum, Caſtellani empoſte,ac Baiuliuorum ad Magiſtrum & concilium ordinarium pertinet. Qua propter prohibemus omnibus ordinis noſtri fratribus cuiuſcunque conditionis fue- III.

rint, quouis quæſito colore aut prætextu, ad ipſorum electionem aut aſſumptio nem procedere, aut in talibus congregationibus ſuffragium dare, vel intereſſe. Qui autem contrafecerint eo ipſo habitu priuati cenſeantur, quem numquam re cuperare poſſint, eaque electio nulla ſit, Electus quoque ſi quouis modo eā pro- curauerit habitu priuetur prout conſuetum eſt, ſalua tamen ſemper lingue nomi- natione.

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

IIII. STatuimus, quòd nullus de gratia receptus, qui nobilis vel legitimus non fuerit, ad aliquam dignitatem aſcendat, nec in lingua gratię contradicat, ſed ſuo cabimento & melioramento cōtentus exiſtat, nec inter ſexdecim capitulares interuenire, vel magiſtrorum electionibus intereſſe, ſeu in eis ballotam aut ſuffragium habere poſſit.

## DE MODO ELECTIONIS *Priorum, & Baiuliuorum.*

### F. BAPTISTA DE VRSINIS.

V. STatuimus, quòd quandocumque Magiſter & concilium ordinarium ad electionem Baiuliui conuentualis procedēt, poſtquam auditi fuerint qui Baiuliuatum more ſolito poſtulant, diſcuſſis prius petentium moribus & virtutibus per eos qui in concilio aderunt nō ſeruato ordine ſed pro arbitrio, per Magiſtrum ante vſum ballotarum iuramentum ſolemne ſuper crucem habitus præſtitum de Baiuliuis, prioribus, & aſſiſtētibus in concilio pro electione facienda recipiatur, quòd virum idoneum, vtilem, dignum, atque præſtantiorem, habita potius ad ſufficientiam & benemerentiam, quàm antianitatem conſideratione, Baiuliuū eligent. Et ſic per ſcrutinium ballottarum electio fieri debeat. Pariformiter Priorem eccleſię, cæteroſq. priores, & Baiuliuos capitulares eligi & creari præcipimus, linguarum ſmutitione pro veteri conſuetudine ſemper reſeruata.

## DE ELECTIONE PRIORIS *Eccleſiæ.*

### F. IACOBVS DE MILLY.

VI. QVanto magis dignitas ſpirituale concernit, tanto magis in promouendo ad eam dignitatem viro conſideratio habenda eſt. Igitur ſtatuimus, quòd vacante eccleſiæ noſtrę prioratu, Magiſter & concilium ordinarium matu ra & graui deliberatione ad Prioris eccleſiæ electionem conueniant, & procedant atque de capellanorum noſtrorum omnium linguarum moribus, vita, doctri na, ſufficientia, diligenti diſcuſſione habita, vnum capellanum probatæ vitæ, diuinorumq. expertum, peritum, doctumq. in Priorem aſſumant, & eligant. Qui electus aſſiduā in conuentu reſidentiam facere teneatur, & ſi aliqua vrgente neceſſitate extra cōuentum mittatur, terminus quàm citius remeandi a Magiſtro & con cilio ordinario ei pręfigatur.

### F. CLAVDIVS DELA SENGLE.

ADiicientes, quòd nullus ad dignitatem Prioratus eccleſię aſcendat, niſi de legitimo matrimonio fuerit natus ac procreatus. VII.

## QVOD FRATRES E CONVENTV *abſentes non eligantur ad dignitates magnæ Crucis.*

### F. PETRVS DE MONTE.

QVoniam fratrum antianorum reſidentia in conuentu admodum eſt neceſſaria, cum aliis de cauſis, tum maxime propter obſequia in adminiſtratione Reipublice præſtãda, Statuimus, quòd nemo fratrum paruę crucis à cõuentu noſtro ſine munere officiove Religionis abſens, ad dignitatem magnę crucis eligi poſſit, niſi legitimo atq. manifeſto impedimento detineatur, quòd Magiſtro & concilio fide publica & authentica affirmatione capituli prouincialis tantum, aut ſaltem Prioris & aſſembleæ, primo quoq. tempore ſignificare & notum facere debet; huic tamen legi fratres venerandę linguę Anglię & Alemaniæ ſubiici nolumus. VIII.

## DE ANTIANITATE ASSVMENDORVM *in Priores ſeu Baiuliuos.*

### F. IOANNES DE LASTICO.

DEcens eſt & neceſſarium vt qui ad ſtatũ ordinis noſtri aſſumẽdi ſunt illius peritiam & experientiam rerum noſtrarum habeant, idq. fieri non poteſt niſi per multum temporis in eo verſati fuerint. Qua propter ſtatuimus, quòd nullus fratrum noſtrorum in Baiuliuum aut Priorem aſſumi ſeu eligi poſſit, qui non habitum noſtrum annos quindecim portauerit ab eo die numerandos, quo in conuentum primum venerit & receptus fuerit, atq. ſub uera obedientia noſtri ordinis inculpate vixerit. IX.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

DVmmodo de illis annis quindecim decem ſimul aut per interualla hic in conuentu reſidentiam fecerit. X.

## QVOD IN PETITIONE DIGNITATVM *fratres iniurioſis verbis non vtantur.*

### IDEM MAGISTER.

PRohibemus fratribus noſtris in petitione dignitatum, competitorum ſuorum vitia aut errata vel turpe quidpiam quomodolibet public[illegible]r, aut allegare iniuriiſq. aut conuitiis alter alterum afficere, neque quidpiam in XI.

eos

eos dicere quod in eorum vita & moribus notam inurere poſſit. Poterunt tamen pro iure ſuo tuendo allegare defectus, per quos tenore ſtatutorum noſtrorum a petitione & conſequutione dignitatum excludi poſſunt; vtpote debitorum communis ærarij, reſidentiæ non factę, deteriorationis cõmendarum, melioramentorum non factorum, & aliorum huiuſmodi. Qui contrafecerit à petitione ſua cadat. Si verò quiuis alius non competitor huiuſmodi crimina inter petẽdum obiecerit, ipſo facto, antequam ad electionem procedatur, priuetur Antianitate duorum annorum.

## DE ELECTIONE PROCVRATORIS GEneralis in Romana curia.

F. IACOBVS DE MILLY.

XII. IN quolibet Capitulo noſtro generali procurator ordinis noſtri in Curia Romana reuocatus intelligitur: alius itaq. eius loco ab ipſo capitulo eſt ſubrogandus; Nihilominus ſi Magiſtro & conuentui certis de cauſis videbitur, poterunt inter duo capitula de alio prouidere priore reuocato. Magiſter igitur & capitulum generale procuratorem conſtituentes diligenter conſpiciant & maturæ prouideant, Religioſumque dignum, prudentem, & benemeritum, in generalem procuratorem eligant: Qui quidem electus in Romana curia reſideat, & honeſtis veſtibus, decentiq. ornatu incedat, ordinis quoque noſtri priuilegia, gratias, libertatesque tuetur, conceſſiones, donationes, & prouiſiones Magiſtri & conuentus defendat: Fratribus rebellibus & inobedientibus reſiſtat & obſiſtat, ipſoſque cum rigore proſequatur, obedientes vero foueat, adiuuet & gratis, omni reiecto munere, defendat, Magiſtrum & conuentum certiores de negocijs reddat, nec aliud a fratribus noſtris pro labore exigat, ſed communis ærarij ſtipendijs contentus exiſtat.

## DE MODO ELIGENDI THESAVRArium Generalem.

F. PETRVS DAVBVSSON.

XIII. STatuimus, quod Theſaurarius generalis venerandæ linguę Franciæ Baiuliuus capitularis eligatur per Magiſtrum & concilium ordinarium modo & forma qua alij Baiuliui capitulares eliguntur de fratribus dictæ linguæ, habito prius reſpectu ad benemerentiam & ſufficientiam, quam antianitatem: ſalua tamen ſmutitione ipſius linguæ. Quodque ipſe Baiuliuus Theſaurarius retento Titulo Baiuliui Theſaurarij poſſit ẽ conuẽtu diſcedere cum licentia concedenda eo modo, quo alijs Baiuliuis capitularibus per Magiſtrum & concilium completum conceditur, & gaudeat prærogatiuis tam præſens quã abſens à connentu, quibus gaudent cęteri Baiuliui capitulares; Intellecto quod habeat coſtodiam bullæ ferreæ ſub ſigillis conſuetis more ſolito; in eius autem abſentia à conuentu Magiſter & concilium eligant & deputent locũtenentẽ Theſaurarij, qni dictã bullam cuſtodiat, quia inconſeruatione ipſius Bullæ non paruũ pondus exiſtit.

## DE ELECTIONE CASTELLANI.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus, quod officium caſtellani detur per Magiſtrum & concilium cõpletum, qui Religioſum idoneum & antianum ſaltem octo annorum ad id officium eligant per ordinem linguarum, locumtenentem autem Caſtellani Magiſter authoritate propria ex præeminentia Magiſtrali eligit. XIIII.

## FORMA ELECTIONIS *Caſtellani.*

F. FABRITIVS DE CARRETTO.

ELectio caſtellani ſic fiet, Magiſter & concilium completum accipient prius in ſcriptis a pilerio linguæ cui per turnum & ordinem id officium ſpectabit nomina fratrum antianorum ad minus annorum octo in conuentu exiſtentium, quę in dicto concilio legẽtur, & perſonarum qualitas examinabitur; Deinde cum ſcrutinio ballotarum ex eis vnus qui magis ſufficiens & idoneus diiudicatus fuerit, eligetur. Prohibeturque ne lingua de dicto officio ſmutet, aut fratrum aliquis ad petendũ id officium in concilio admittatur. Electus autem coram Magiſtro & concilio conſtitutus faciet ſolemne iuramentum de recte & iuſte omni ſemota labe officium exercendo. XV.

## DE ELECTIONE CAPITANEI *exercitus terreſtris & claſsis.*

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

IN Capitaneo & belli duce ſumma diligentia & rerum agendarum experientia requiritur. Hinc eſt quod pro tuitione inſulæ noſtræ volumus & ſtatuimus, quod in electione capitanei exercitus terreſtis, aut claſſis quæ fieri debeat per Magiſtrum & concilium completum: ita quod tres partes ſuffragiorum cõſentiant in vnum, habeatur potius reſpectus ad benemerentiam & idoneitatem quam antianitatem, ſine tamẽ prȩiudicio antianorum. Ita tamen quod ſi linguæ Aluerniæ pro Capitaneo terrȩ ſufficiẽs & idoneus reperiatur, is ad Capitaneatum ante alios aſſumatur, ſi vero ſufficiens non reperiatur alius idoneus pro illa vice deputetur ſine prȩiudicio linguæ & antianorũ: Et ſic de Capitaneatu claſſis ſtatuimus, quod ſi in lingua italica ſufficiens reperiatur, claſſi proponatur: ſi minus, alius pro illa vice deputetur ſine præiudicio linguæ & antianorum vt dictum eſt. XVI.

## DE ELECTIONE IVDICIVM *Caſtellaniæ*.

### F. IOANNES DE LASTICO.

X VII. MAgiſter, & concilium ordinarium viros probos, integros, & doctos iudices appellationum, & ordinarium eligant, qui per quodlibet biennium mutari debeant, ne temporis aſſiduitas ſiniſtri occaſionem afferat.

## DE ELECTIONE PROCVRATORVM *pauperum*.

### F. BAPTISTA DE VRSINIS.

XVIII. ELigantur & deputentur per Magiſtrum & concilium completum duo religioſi prudentes & idonei, qui curam incarceratorum, pauperum, ægrotorũ, viduarũ, & pupillorum habeāt, eoſq. ſuis in iuribus tueantur & defendant; ne dolo, fraude, & penuria deficiāt, & iuſtitia in ſuis cauſis miniſtretur, pro quorum ſuffragio & præſidio coram Magiſtro & concilio & in quocumque loco comparere poſſint, ne calumniam aut iniuriam quoquomodo afflicti patiantur.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XIX. QVorum procuratorum alter ſit literatus & ſtipendium ab ærario habeat.

## DE CVSTODIA FACIENDA IN TVRri caſtri Rhodi per quatuor fratres.

### F. EMERICVS DAMBOYSE.

XX. QVia vrbs Rodi in limitibus infidelium conſtituta eſt, oportet diligentia vtamur in ipſius cuſtodia. Igitur ſtatuimus, quod Venerandus Mareſcallus, aut eius locũtenens de tẽpore in tempus prout ei melius videbitur, eligat quatuor fratres diuerſarum linguarũ qui qualibet nocte in turri caſtri Rhodi continuam reſidentiam faciant, & per totũ annũ continuas nocturnas guardias in dicta turri exerceāt, ex quibus vnũ pro capitaneo nominabit, Quos ipſe vt ſuos deputatos ſępius viſitabit & defectus corriget: habeatque autoritatem inutiles à dicta guardia remouendi & alios remotorum loco ſubſtituendi: Tamen non eſt permiſſum poſſe aliquem in dicta guardia retinere qui in dictis guardijs ſupra tribus vicibus defecerit: quibus quidem fratribus quatuor pro eorum annuo ſalario & ſtipendio aſſignamus ſummam florenorum Rhodi currentium nonaginta ſex, videlicet florenos viginti quatuor pro quolibet fratre quod à noſtro communi ærario capiet; & quia hoc ſtipendium eſt ad onus venerabilium Baiuliuorum conuentualium & capitularim eorumq. locuatenentium ac Priorum pro tempo-

di reſidentium (excepto Priore eccleſiæ) & non ad expenſas communis ærarij: Ideo eius ſcriba, quando de trimeſtri in trimeſtri faciet computum tabularũ prædictorum Rhodi reſidentium, pro æquali parte diuidat dictum ſtipendium inter prædictos Rhodi reſidentes, & eorum tabulis demat ſummam trimeſtris dicti ſalarij deputati antedictis quatuor fratribus facientibus guardiam. Et hæc ordinatio executioni mandetur prima die Martij proximi vẽturi, & futuris temporibus continuabitur. Caſſaturque & aboletur conſuetudo collectarum dãdarum per antedictos venerandos Baiuliuos, & eorum locatenentes, ad quas preſtandas amplius non teneantur, nec alij fratres in conuentu reſidentes, de cætero (prout hactenus fuit obſeruatum) grauabuntur dicta guardia.




TANQVAM OMNIA POSSIDENTES,
ET NIHIL HABENTES.

# DE COMMENDIS ET ADMINISTRATIONIBVS

## TITVLVS DECIMVSQVARTVS.

### F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

STatuimus, quòd commendæ & bona ordinis noſtri illis fratribus regenda & adminiſtranda committantur, qui prudentes probi, antiani, & benemerentes erunt. I.

### IDEM MAGISTER.

PRohibemus, quòd nullus frater duos Prioratus ſeu Baiuliuatus ſimul tenere poſſit, ſed vnum dumtaxat habeat, cuius regimini inuigilet & aſſiſtat. II.

### F. DEODATVS DE GOZONO.

NOn licet Priori, vel Caſtellano empoſtę aliquam commendam, domum vel membrum in alio Prioratu, niſi Magiſtri & conuentus conſenſus acceſſerit, habere vel tenere. Debet enim vnuſquiſque ſuis limitibus contentus eſſe, nec promotiones aliorum conuenit impedire. III.

## *QVAS COMMENDAS PROMOTI ad Prioratus retinere poſſunt.*

### F. IACOBVS DE MILLY.

BAiuliui ſiue Commendatarij ad dignitatem prioralem rite & canonice promoti commendas omnes, quas priùs tenebant, dimittere tenentur: retinere tamen poſſunt cameras magiſtrales ſibi conceſſas, & commendas per eos à ſæcularium manibus recuperatas, illas etiam quas titulo priuationis alicuius conſequuti fuerint. IIII.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

PRohibitum eſt Prioribus cameras priorales quouismodo permutare, ſed quas in prioratu inuenerint retinere debebunt. V.

## QVI FILIOS HABVERIT BONA ORdinis noſtri aſſequi non poſſit.

F. PETRVS DE CORNILIANO.

VI. SAncitum eſt quod frater qui ante ingreſſum in ordinem noſtrum vxorem habuerit & ex ea filios genuerit, qui poſt peractam profeſſionem ac promotionis tempore ſuperſtites fuerint, nullo modo adminiſtrationẽ prioratuum Caſtellaniæ empoſtæ, Baiuliarum, ſeu commendarum obtinere & habere valeat.

## QVO TEMPORE FRATRES POSSVNT aſſequi Commendas.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

VII. STatutum eſt, quòd nullus frater ordinis noſtri cuiuſuis conditionis fuerit, commendam de gratia aut de cabimento habere & conſequi poſſit, niſi poſt ſumptũ noſtri ordinis habitũ & profeſſionẽ factã, quinq. annos: nec penſionem, aut membrum niſi tres annos in conuentu noſtro moram traxerit continuos aut per interualla, ac ius paſſagij ſoluerit: adiicientes, quòd nullus omnino fratrum noſtrorum commendam de cabimento, gratia, aut melioramento obtinere poſſit niſi in conuentu pręſens fuerit, aut antianitatem ſiue expectatiuam habeat.

## DE CARAVANIS SEV ARMAMENTIS neceſſarijs ad aſſequendas Commendas.

F. IOANNES DE VALLETA.

VIII. QVia Reipubricę in primis intereſt ne quis pręmia ab ea conſequatur, niſi illa per obſequia legitime meruerit: Statuimus, vt nullus fratrum militum & ſeruientium armorum commendam de cabimento, aut de gratia conſequi poſſit, niſi prius in triremibus noſtræ Religionis tres carauanas completas, ſeu armamenta per ſe vel per alium fecerit, exceptis fratribus & militibus venerandarum linguarum Angliæ, & Alemaniæ, ac ijs qui in officijs ordinis aut Magiſtri verſantur & detinentur.

F. PETRVS DE MONTE.

IX. ITa tamen, quòd in huiuſmodi obſequijs quilibet annus continuus & cõpletus, & nõ aliter pro vna Carauana cenſeatur & numeretur, exceptis pueris ſiue pagijs Magiſtro ſeruientibus qui ſuo tempore dictas tres carauanas adimplere tenentur. Decernentes, quòd nullus admittatur ad carauanas faciendas, niſi decimum octauum ſuę ętatis annum attigerit.

## QVOD RECEPTORES IN PRIORATIbus gaudent antianitate.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

REceptores communis noſtri ęrarij in prioratibus & Caſtellania empoſtæ à conuentu abſentes antianitatem habere cenſeantur; In cuius vim commendas de cabimento, melioramento, gratia Magiſtri, aut alterius obtinere poſſunt, eas tamen quarum adminiſtratio ob non ſolutionem iurium noſtri cõmunis ærarij ablata erit aliis fratribus, nullo modo conſequi poſſunt, ad euitandũ dolum & fraudem. X.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVi cauſa reipublicæ abſunt pro negocijs ordinis miſſi, durante ſua commiſſione, vel legatione, antianitate gaudent, ac ſi pręſentes in conuentu eſſent. XI.

## FRATER AB INFIDELIBVS CAPTVS in conuentum veniens quamdiu detinebitur reſidentia gaudet.

IDEM MAGISTER.

STatuimus, quod ſi frater à partibus occiduis diſcedens animo & intentione in conuentum veniendi, in itinere ab infidelibus captus fuerit cenſeatur reſidens in conuentu pro toto tempore ſuæ captiuitatis, ſimiliter commendatarius de conuentu diſcedens cum licentia Magiſtri animo etiam & intentione ſe ad ſuam commendam conferendi ibique reſidendi, ſi ab infidelibus captus fuerit, cẽſeatur reſidens in ſua cõmenda quãdiu ab ipſis detinebitur. XII.

## DE OBTINENDIS LITERIS ANtianitatis poſt adeptas commendas.

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, vt fratres qui Prioratus, Caſtellaniã empoſtæ, Baiuliuatus, vel commendas vigore cuiuſcumque ancianitatis, ſiue expectatiuæ adepti fuerint, in termino vnius anni à die executionis huiuſmodi ancianitatis literas confirmatorias à Magiſtro & concilio obtinere debeant. XIII.

## QVO TEMPORE FRATRES MELIOrare poſſunt commendas.

F. IOANNES DE LASTICO.

FRatres qui ſemel de aliqua commẽda prouiſi extiterint, ſe de alia meliorare nõ poſſunt, niſi prius quinque annos pręter mortuarium & annatã (quã uacantem dicimus) in commenda reſidentiam perſonalem fecerint. XIIII.

### F. IOANNES LEVESQVE DELLA CASSIERE.

XV. PRiores, Baiuliui, & Cōmendatarij quandiu in conuentu reſederint, vel ab eo diſceſſerint, quoaduſque Baiuliuatus, Prioratus, & Commendas appulerint, vel ab ipſis veniendi gratia ad conuentum receſſerint in eiſdem reſediſſe intelligantur.

## QVOD FRATRES TENENTVR *meliorare Commendas.*

### F. PETRVS DAVBVSSON.

XVI. NVllus omnino fratrer ordinis noſtri, qui habet commendas de gratia, aut de cabimento, poſſit ſe cabire, aut meliorare, vel Prioratum aut Baiuliuatum habere, niſi prius authentice oſtenderit commendas quas quocunque titulo poſſidet ſe melioraſſe.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XVII. IDem cenſemus in membris aut qui membra poſſident, ſub eadem pœna illa meliorare teneantur.

## DE MELIORAMENTO PER *Baiuliuos capitulares faciendo.*

### F. PETRVS DAVBVSSON.

XVIII. BAiuliui capitulares, qui tenent & habent poſſeſſionem pacificam ſuorum Baiuliuatuum capitularium, ipſos Baiuliuatus capitulares meliorare tenentur. Idcirco ſtatuimus, quòd nullus Baiuliuus capitularis, qui Baiuliuatum pacifice poſſidet, poſſit aſſequi Prioratum aut Baiuliuatum conuentualē, niſi probauerit & oſtenderit authentice ſe melioraſſe Baiuliuatum capitularem quem poſſidet.

## DE MELIORATIONE CAMERARVM *Magiſtralium & Prioralium.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XIX. FRatres ordinis noſtri quibus Magiſter ſuas cameras Magiſtrales locauerit vel commiſerit non poterunt commendas de cabimento, aut melioramento, aut dignitates adipiſci, niſi dictas cameras magiſtrales meliorauerint. Nec Priores commendam ſuæ præheminentiæ pertinentem, excepta quinta camera, niſi melioramenta in ſuis quatuor cameris prioralibus fecerint. Nulli tamen melioratio non facta obijci poſſit, niſi poſt quinquennium à die perce-

ptionis

ptionis fructuum tam in commendis ac Baiuliuatibus, quam in membris. In cameris vero Magiſtralibus poſt idem tempus, lapſis duobus annis ad Magiſtrum pertinentibus.

## DE MELIORAMENTO PER FRATRES *Capellanos & ſeruientes armorum faciendo.*

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

QVia nonnulli fratres Capellani & armorum ſeruieutes, vbi ſemel commẽdas de cabimento aſſequuntur, multoties melioramenta in illis facere negligunt: Statuimus, vt fratres Capellani & armorum ſeruientes iuxta ſtatutorum formam in commendis ab eis poſſeſſis intra duos annos elapſo quinquennio ex quo fructus percipere cœperunt, melioramenta conficere teneantur, & ea in conuentum mittere, alioquin dicto termino elapſo, vnius anni fructibus commendarum communi ærario applicandis priuentur. XX.

## DE CENSVALIBVS LIBELLIS.

### F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

SAncimus, vt de cætero nulla melioramenta pro validis approbentur, niſi prius commiſſarii pro recognoſcendis talibus meliorationibus præpoſiti iuramento medio in acta publica redacto profiteantur ſe vidiſſe integre & diligenter confectos pro regionis vbi fiunt vſu cenſuales libellos, quos papyros terræ quidam vocant, alij recognoſcentias, nonnulli cabreuationes ſeu apeamentos, tam commendæ quam Baiuliuatuum, camerarum prioralium & membrorum ab eis dependentium. XXI.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ATque camerarum Magiſtralium. XXII.

## MODERATIO STATVTI *præcedentis.*

### IDEM MAGISTER.

QVI quidem cenſuales libelli renouari debent vigeſimoquinto quoque anno. Quòd ſi aliquo caſu acciderit quod Priores, Caſtellanus empoſtæ, & Commendatarij propter aliquas legitimas cauſas eos conficere non potuerint, vtpote quòd eorum confectio cederet in detrimentum commendarum ſeu Prioratuum, ſi de eo authentice conſtare fecerint in actis ſuarum meliorationum, tunc in arbitrio Magiſtri & concilij erit ſuper id prouidere prout æquum vjdebitur. XXIII.

## DE COMMENDIS DE GRATIA PER *Magiſtrum conferendis.*

### F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

XXIIII. MAgiſter quolibet quinquennio vnam tantum commendam, quam eligere voluerit, cuius adminiſtratio vacauerit in conuentu vel extra, in quolibet Prioratu & Caſtellania empoſtę fratribus in conuentu reſidentibus de gratia committere poteſt. Adijcientes, quòd ſi primo quinquennio commendam non conceſſerit, in ſecundo quinquennio duas commendas concedere poſſit, ita vt quolibet decennio duas commendas dumtaxat modo præmiſſo in quolibet Prioratu & Caſtellania empoſtæ concedat.

## DE EODEM.

### F. PETRVS DAVBVSSON.

XXV. STatuimus, quod quotieſcumq. adminiſtratio alicuius commendę vacauerit ad diſpoſitionem Magiſtri ſecundum formam ſtatuti de gratijs magiſtralibus, Magiſter pro tempore exiſtens dictam commendam alicui cōmendatario dare poſſit, qui dimittat (ſi Magiſtro placuerit) vnam ex commendis quas poſſidebat, & loco dimiſſæ tenebit illam quam ei concedet Magiſter ſub eo titulo quo dimiſſam primo tenebat, & dimiſſam commendam de gratia ſecūdum formam ſtatuti de gratijs magiſtralibus ordinantis Magiſter alteri concedere poſſit.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXVI. QVi quidem Magiſter à die quo certa notitia vacationis alicuius commendę habebitur quæ ad ſuam gratiam magiſtralem pertinebit teneatur infra viginti dies declarare ſi eam velit dare vel non, & eadem acceptata intra alios decem dies ſignificare debeat cui commendam ſic retentam concedere voluerit & conceſſerit. Declarātes Idem intelligi debere de membris & penſionibus ex præfatis commendis concedendis.

## DE GRATIIS PRIORALIBVS.

### IDEM MAGISTER.

XXVII. COnſuetum eſt vt Priores & Caſtellanus empoſtæ vnoquoque quinquennio à die promotionis eorum numerando vnam commendam duntaxat ſui Prioratus alicui fratri antiano & benemerito concedere poſſint.

## QVIBVS FRATRIBVS COMMENDÆ concedi debent per Priores.

### F. IOANNES DE LASTICO.

STatuimus, quod Priores & Caſtellanus empoſtæ commendas quæ ſuæ diſpoſitioni ſecundum formam ſtatutorum noſtrorum pertinent, fratribus concedere non poſint, niſi illis qui in cõuentu recepti fuerint & paſſagiũ ærario exoluerint: Alias huiuſmodi diſpoſitio nulla cenſeatur, & commendę præter hunc ordinem conceſſæ Magiſtro & conuentui prouiſio ſpectet, qui ſecundum laudabiles conſuetudines ordinis eidem prouideat. XXVIII

## DE MODO CONCEDENDI COMmendas per Priores.

### F. CLAVDIVS DELA SENGLE.

IN concedendis commẽdis à Prioribus & Caſtellano empoſtę hic modus ſeruari ſolet, quolibet quinquennio ſi à feſto ſanctorũ Philippi & Iacobi ad aliud proxime ſequẽs adminiſtratio pluriũ cõmendarũ extra cõuentũ vacauerit per mortẽ duorũ vel pluriũ cõmendatariorũ primũ Magiſter (ſi tunc ad eũ pertinebit) ſua gratia & pręheminentia vtetur: Deinde conuentus: Poſtmodũ vero Prior & Caſtellanus empoſtę, & vt clarius dicatur; ſi vacauerit vna ad Magiſtrũ pertinebit; ſi duę vna ad Magiſtrũ & altera ad conuentũ, ſi plures quàm duæ (mortuis pluribus commendatarijs extra conuentum & in limitibus linguæ de qua prioratus erit) poſt Magiſtrum & conuentum Prior & Caſtellanus empoſtæ de earum vna pro ſua præheminentia diſponẽt. Elapſis tamen prius mortuario & annata vacantis Prioratus aut Caſtellanię empoſtæ: ſi aliter fecerint conceſſio & & diſpoſirio eorum nulla ſit & pro illo anno tali ſua præheminentia & facultate diſponendi priuati cenſeantur: XXIX.

### F. IOAONNES DE VALLETA.

DEclarantes limites Prioratuum Regni Francię eſſe totum Regnum & vbicumq. extenduntur commendæ ad dictos prioratus ſpectantes. Prioratuum Hiſpaniarum, Regna Hiſpaniarum: Prioratuum Italiæ, omnes prouincias Italiæ, & inſulam Siciliæ, Alemaniæ totam germaniam tam ſuperiorem quam inferiorem. Angliæ, totam inſulam Angliæ cum regno Scotiæ, & inſulam Hiberniæ. Commendatarij tamen qui ſuper mare & extra limites eorum prioratuum de quibus exiſtunt mortem obierint, in conuentu obijſſe cenſentur et intelliguntur. XXX.

## QVOD PRIORES IN CONCEDENDIS commendis non poſſint quicquam retinere aut accipere.

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

XXXI. PRohibemus, quod Priores & Caſtellanus empoſtę in diſpoſitione commẽdarum quas in vim ſuę præheminentiæ concedunt, membrum vel domũ earumdem retinere non poſſint, aut quouis modo valeant, vel pro dicta gratia mobilia bona aut immobilia recipere præſumant: ſi contrafecerint gratijs & præheminentijs prioralibus pro illo anno priuati cenſeantur, & nihilominus diſpoſitio facta expiret, taliſque commenda ad diſpoſitionem Magiſtri & conuentus perueniat:

## QVOD PRIORES COMMENDAM SVÆ *diſpoſitioni ſpectantem cum alia permutare poſſunt.*

F. IACOBVS DE MILLY.

XXXII. STatuimus, quod commendam ad diſpoſitionem prioris ſecundum ſtatutorum noſtrorum formam pertinentem Priores & Caſtellanus empoſte alicui commendatario commendam tenuioris valoris tenenti concedere poſſint, qui eam in poteſtate Prioris reſignet, & eã quę ſibi concedetur ſub eo titulo quo primam tenebat poſſidere debeat; reſignatam quoque in manu Prioris commendam Prior ipſe alteri committat, & ille cui committetur ipſam de gratia Prioris teneat ſaluis ſemper ærarij iuribus.

## DE QVINTA CAMERA PER *Priores retinenda.*

F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

XXXIII PRioribus & Caſtellano empoſtæ facultatem atque auctoritatem concedimus, vt vltra quatuor cameras priorales aliquam cõmendam pro quinta camera de commendis ſuæ diſpoſitioni ſpectantibus ſumere, acceptare, & retinere poſſint, vt condecentiæ ſtatus eorum commodius conſulatur.

## DE COMMENDIS IN QVIBVS *eſt iuriſdictio ſanguinis.*

IDEM MAGISTER.

XXXIIII. SApientiæ ac probitati Magiſtri, Baiuliuorum quoque & procerum concilij ordinarij eorumq. diſcretioni remittimus, atque commendas in quibus iuſtitia ſanguinis exercetur fratribus Capellanis ordinis noſtri committendi auctoritatem damus. Hi namque caſu contingente ordinabunt, & de talibus pro ſuo arbitrio, perſonarum & rerum qualitate penſata diiudicabunt.

## F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

PErmiſſum eſt commendatario commendam de cabimento tenenti eam retinere pro ſuo melioramento dummodo authentice conſtare fecerit more ſolito noſtri ordinis ſe illam melioraſſe. XXXV.

## F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ERit autem ei liberũ illa acceptata pro melioramento, factis denuo alijs melioramentis, & tranſacto etiam quinquennio aliam pro ſuo ſecundo melioramento acceptare. XXXVI

## DE RESIGNATIONIBVS.

## F. IACOBVS DE MILLY.

STatuimus, quod nullus frater ordinis noſtri commendam quam habet decabimento, gratia, vel melioramento, aut alio quouis modo reſignare aut ei cedere poſſit niſi in manibus Magiſtri & conuentus dũtaxat: Aliter reſigna tio nulla prorſus cenſeatur. XXXVII.

## DE PŒNA RESIGNANTIVM.

## F. PETRVS DAVBVSSON.

PRęter id, qui tales reſignationes fecerit, eo ipſo pęnam priuationis commendarum membrorum & aliorum bonorum, quæ poſſidebit, incurrat; de quibus per Magiſtrum & conuentum prouideatur, monitione, citatione que reiecta: quando de reſignatione non rite patrata conſtiterit: & nihilominus reſignationes contra formam ſtatutorum factæ nullæ cenſeantur. XXXVIII

## DE STATV COMMENDARVM RELINquendo.

## F. ANTONIVS FLVVIANVS.

VOlumus & mandamus, quod commendatarij ad alias commendas per meli oramentum ſe tranferentes, commendarum quas dimittunt ſtatum integrum in eis ſicut reperierint dimittant. Quod ſi cõtrafecerint, & ablata non reſtituerint intra annum, tunc eo ipſo priuati ſint commendis, & alias habere termino quinquennij non poſſint. XXXIX

## DE PERMVTATIONE COMMENDArum aut membrorum.

## F. PHILIPPVS DE NILLIACO.

XL. PRohibemus & interdicimus Prioribus & Caſtellano empoſtę quod permutationes commendarum aut membrorum in prioratibus à quibus uis cōmēdatarijs aut fratribus non recipiāt, aut quouis modo facere pręſumant: ſi autem nonnulli permutare commēdas aut domos deſiderauerint, Priores & Caſtellanus empoſtæ de tali permutatione ac fratrum ætate & commendarum valore & qualitate Magiſtrum & conuentum literis authenticis reddant certiores. Qui de huiuſmodi permutatione clarius informati, & de ipſa in lingua cuius fratres eſſe cenſentur permutantes diſcuſſione & deliberatione habita, ſi lingua tali permutationi conſenſerit, tunc eam Magiſter & conuentus confirment, & per Priorem executioni mandetur; aliter vero non. Si autem Priores & Caſtellanus empoſtæ & alij ſuperiores contrafecerint, redditibus vnius anni camerarum prioralium & commendarum priuentur, qui ærario applicentur; Et nihilominus quicquid præter huiuſmodi ſeriem inſtitutionis factum fuerit nullius roboris eſſe cenſeatur. Si vero commendatarij & fratres præter hanc formam commendas aut domos permutauerint, & poſſeſſionem commendarum adipiſci præſumpſerint, priuſquam Magiſter & conuentus atque lingua permutationem confirmauerint, ratamq; habuerint, eo tunc ipſis commendis & domibus de quibus facta eſt permutatio priuati ſint, & de eis Magiſter & conuentus prouiſionem faciant, fratribusq; antianis & benemerentibus concedant, nec alias commendas ipſi contrafacientes vſque ad lapſum quinquennij habere poſſint.

## *DE VNIONE MEMBRORVM ET commendarum.*

### IDEM MAGISTER.

XLI. PRioribus & Caſtellano empoſtę authoritatem & facultatem damus vniēdi, annexandi, & incorporandi ad inuicem duas commendas parui valoris & tenuis redditus cum conſilio & conſenſu capituli prouincialis, & non aliter. Quæ tamen vniones præiudicium ærarij iuribus nullo modo generēt. Etiam ipſi priores & Caſtellanus empoſtæ, quia plura membra reperiuntur, quæ ſunt diſtantia à ſuis capitibus, quare commendatarij commendæ eorum regimini vacare non poſſunt; Ideo huic incommoditati obuiare cupiētes, illis permittimus vt poſſint & valeant cum capituli prouincialis conſenſu & deliberatione illa mēbra diſperſa & à capitibus longinqua vnire alijs commendis propinquioribus, & quod commendæ quę tales vniones recipient iuribus ęrarij onerentur pro rata valoris membrorum vnitorum. Aliæ autem commendę à quibus ſunt ſeparata ipſis iuribus pro rata liberentur; Quæ quidem vniones ſortiri debeant effectum, quandocumq; à die vnionis quo vnita ſint adminiſtratore caruerint. In uim quarum vnionum prouiſi de commendis poſſeſſionem vnitorum ſumere poſſint.

## QVOD SINE DILATIONE PROCEDATVR *ad ſmutitionem Commendarum.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, vt ſtatim poſtquam Magiſter & conuentus legitime certiores facti fuerint de morte alicuius Prioris, Baiuliui, & Commendatarij, debeant procedere ad ſmutitionem Prioratus, Baiuliuatus, & commendæ, & adminiſtrationi illorum prouidere: Et ne ſuper huiuſmodi certioratione dubiũ oriatur, intelligimus ſi certiores facti fuerint per literas Prioris, Receptorum, vel procuratoris Prioratus vbi mortem obierit, aut alicuius fratris ordinis noſtri, qui ſe illum vidiſſe mortuum ſcribat; Dummodo ad eum nihil pertineat, vel per eius affirmationem ſi ad conuentũ venerit, & etiam per inſtrumentum authenticum manu pnblici Notarij aut Iudicis legitime confectum. XLII.

## DE INCAPACIBVS AD *conſequendas commendas.*

### IDEM MAGISTER.

QVicunque tempore ſmutitionis alicuius Baiuliuatus, Prioratus, dignitatis, aut commendæ illius conſequendi quouiſmodo & ex quauis cauſa incapax exiſtat, etiam ſi poſtea ad id capax & habilis factus fuerit, tamen ipſum Prioratum, Baiuliuatum, dignitatem, aut commendam pro ea vice nulla ratione aut pacto obtinere poterit. Idem quoque erit ſi eodem tempore non petierit. XLIII

## DE CONCEDENDIS MEMBRIS.

### IDEM MAGISTER.

LIcet Prioribus, & Caſtellano empoſtę de qualibet Prioratus ſui camera concedere vnum membrum tantum, & Baiuliuo de ſuo Baiuliuatu, commendatarijs vero de commendis dumtaxat, quas de melioramento tenent, De commendis vero de cabimento, vel de gratia Magiſtri, linguæ, vel Prioris commendatarij nullum membrum dare poterunt. XLIIII.

### F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

DVmmodo commenda de qua conceditur membrum aureos ſiue ducatos quadringentos annuos communi æſtimatione reddat, & membrum commendæ quintam partem non excedat. XLV.

## QVOD TEMPORE MORTVARIJ ET *vacantis non concedantur membra.*

F. PETRVS DAVBVSSON.

XLVI. Statuimus, quod quicunque frater ad alium Prioratum, Caſtellaniam emposte, aut commendam ſecundum ſtilum religionis, & ſtatutorum ſeriem ſe conferre voluerit, pendente tempore mortuarij & vacantis Prioratus, Caſtellaniæ empoſtæ, aut Commendarum, ad quas ſe transferre proponet, non poſſit de Prioratu, Caſtellania empoſtæ, aut commenda, quos dimittere vel acceptare decreuerit, membrum vel membra concedere. Quod ſi fecerit, conceſſio eo ipſo nullius roboris ſit, & irrita cenſeatur.

## DE MODERATIONE *conceſſionis membrorum.*

IDEM MAGISTER.

XLVII. Conceſſio autem membrorum fieri debet de membris longinquis à capitibus commendarum, quòd ſi aliter factum fuerit nullius ſit roboris, etiã ſi eſſet confirmata per capitulum prouinciale, & quòd ex vna commenda vnum membrum dumtaxat concedi poſſit, & vno conceſſo non poſſit concedi aliud, quouſque dictum membrum fuerit reductum ad commendam.

## QVOD COMMENDATARII NON *retineant fructus membrorum à ſe conceſſorum.*

F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

XLVIII Si Commendatarius ſuæ commendæ membrum aliquod conferens illius fructus vllo pacto ſibi exceperit, reſeruarit, vel retinuerit; Is (præterquã quòd talis prouiſio ipſo facto ſit nulla) totius commendæ fructibus continuo triennio priuetur communi ęrario applicandis, & acceptans dictum membrum per totidem annos nec commendam habeat, nec officium vllum gerat.

## DE PENSIONIBVS.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XLIX. Conſuetum eſt, vt nullus penſionem ſuper commendis conſtituere poſſit preter Magiſtrum, & eos quibus per Capitulum generale nominatim, & in ſpecie id conceſſum fuerit.

### F. IOANNES DE HOMEDES.

ETiam ſi de gratia linguæ, aut Prioratus vel Magiſtri beneficentia id fieri contingeret, nec Magiſter licentiam dare poſſit de hoc tractando: ſi quid ſecus factum fuerit ſit irritum & inane. L.

## DE FORMA CONFIRMATIONIS *membrorum.*

### F. IACOBVS DE MILLY.

DOlos & fraudes euitare volentes: Statuimus, quòd Prior, Caſtellanus empoſtæ, & Capitulum prouinciale, huiuſmodi membra vel domos per commendatarios conceſſa ad tempus vel ad vitam fratribus, aut donatis ordinis noſtri, iuribus ęrarij reſeruatis, confirmare poſſint. Quæ quidem confirmatio ſigillo communi Prioratus roboretur: quæ tamen fieri non poſſit, niſi cõmendatarius & frater, ſeu donatus, cui conceſſio facta fuerit, coram capitulo prouinciali, & Priore prius perſonaliter compareant; vbi iuramentum ſolemne præſtare teneantur, quòd in huiuſmodi conceſſione fraus, dolus, aut circumuentio non interceſſerit. Frater qui in conuentu erit per procuratorem adeſſe poſſit, & ſupplere per procuratorem, quod per præſentiam efficeret. Quicquid autem contra hunc ordinẽ factum atque confirmatũ fuerit, nullius momenti eſſe cenſeatur. LI.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

EAdem forma ſeruetur, cum huiuſmodi membra in linguis aut Prioratibus conceduntur & confirmantur. LII.

## QVOD NON DENTVR MEMBRA *aut prædia ſæcularibus.*

### F. PETRVS DAVBVSSON.

STatuimus, quòd Priores, Caſtellanus empoſtę in capitulis, ſeu aſſembleis prouincialibus vel extra, & commendatarij & fratres, commendas, membra, prædia, aut poſſeſſiones vel penſiones Prioratuum, Caſtellaniæ empoſtæ, ſeu commendarum ſæcularibus, aut alijs perſonis extra ordinem noſtrum degentibus, cuiusuis conditionis fuerint, nullo pacto concedere, aut permutare vel cambiare cum eis poſſint. Nam ipſis id agendi poteſtatem & auctoritatem denegamus, atque interdicimus. Si quis autem contrafecerit commendis, & beneficijs eo ipſo priuatus cenſeatur, & per decennium alia conſequi non poſſit; & nihilominus conceſſio, donatio, aut permutatio nullius valoris exiſtat. LII.

## QVOD MEMBRA PER MORTEM EA poſsidentium ad capita reuertantur.

### F. FABRITIVS DE CARRETO.

LIIII. ANtiquæ conſuetudini ordinis noſtri adhærentes; declaramus, quòd contingente caſu obitus poſſidentium membra commendarum, ipſa reuertuntur, & redintegrantur commendis à quibus dependent, tamquam eorum capiti, referendo ſingula ſingulis. Cui quidem capiti præfata membra reuniũtru, incorporantur, & in priſtinum ſtatum reducuntur.

## DE BONIS RECVPERATIS per fratres à ſæcularibus.

### F. ELIONVS DE VILLANOVA.

LV. STatuimus, quòd ſi quis frater ordinis noſtri recuperauerit, & ad obedientiam ordinis noſtri reduxerit commendas, redditus, prædia, & poſſeſſiones per ſæculares, aut alienas a noſtro ordine perſonas occupatas & detentas, talia bona recuperata fratri recuperanti per magiſtrum & conuentum concedantur ad vitam: nec de talibus commendis, aut bonis recuperatis teneatur ſoluere reſponſiones cõmuni ærario, niſi illud quod prius ſæculares exſoluebant.

## DE EODEM.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

LVI. SEd prius monendi ſunt commendatarij quorum commendis bona per ſeculares occupata vel detenta pertinent, vt dicta bona recuperent: qui voluntatem ſuam ſuper eo intra bimeſtre declarare tenebuntur Magiſtro & Concilio, vel Priori aut capitulo prouinciali, an velint ea recuperare. Quod ſi declarauerint ſe velle recuperare, debent intra annũ à die declarationis ſuæ mouere & intendere litem occupatoribus aut detentoribus bonorum ipſorum, ſi ea aliter reddere nollent. Quòd ſi non fecerint, liceat vnicuique fratrum noſtrorum auctoritate Magiſtri & conuentus, vel Prioris aut Caſtellani empoſtæ, aut capituli prouincialis illa proſequi & recuperare.

## QVOD BONA ACQVISITA VICINIORI commendæ applicentur.

### F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

LVII. STatuimus, quòd omnia bona ſtabilia elargita per ſæculares perſonas fratribus ordinis noſtri, ſeu acquiſita per eoſdem, nullo modo vendi, aut diſtrahi poſſint, abſque expreſſa Magiſtri & capituli generalis licentia: Quinimmo poſt talium fratrum deceſſum dicta bona applicentur illi Baiuliæ ſeu

com-

commendæ in cuius limitibus ſita ſunt, etiam ſi fratres mortem obierint, aut moram traxerint alibi quã in dicta cõmenda. Si autem dicta bona conſtituta non eſſent in limitibus alicuius commendæ, quòd tunc propinquiori aut viciniori commendæ vniantur. Quibus quidem bonis imponatur onus communi noſtro ærario exoluendum.

## DE CENSIBVS A FRATRIBVS *emptis.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVia ſępe contingit, vt fratres noſtri ſponte vel coacti emant cenſus ſeu annuos redditus, qui ad libitum vendentium, aut aliter redimi poſſunt, fuit dubium an dicti cenſus haberentur pro ſtabilibus vel mobilibus. Nos id dubium tollere volentes, declaramus, quòd huiuſmodi cenſus ſeu annui redditus empti in perpetuum, de quibus inſtrumentum gratiæ facta venditori de eis luendis & redimendis non oſtenditur, loco bonorum ſtabilium habeantur, & pro talibus propinquiori commendę applicentur: vbi vero monſtrabitur inſtrumentũ gratiæ ſupradictę pro bonis mobilibus cenſeantur, & pro talibus poſt mortẽ emptoris ærario applicentur. Quòd tam de acquiſitis quam de acquirendis intelligi debet. LVIII.

## DE PROVISIONE BENEFICIORVM *eccleſiaſticorum.*

### CONSVETVDO.

PRiores in ſuis cameris Prioralibus, Baiuliui, & Commendatarij in ſuis cõmendis habent prouiſionem vel præſentationem beneficiorum eccleſiaſticorum cum cura animarum vel ſine à ſuis commendis dependentium, niſi id priuilegio vel conſuetudine ad alios pertineat. LIX.

## DE EODEM.

### F. IOANNES DE HOMEDES.

TAmen ſi dicta beneficia eccleſiaſtica per mortem vel reſignationem, priuationem, aut alio quouis modo in conuentu vel extra vbi fuerit Magiſter vacauerint, eorum prouiſio vel pręſentatio ad eum ex conſuetudine pertinere debet, etiam ſi ad ea per electionem quis aſſumi deberet: niſi talia beneficia pro cabimentis eſſent aſſignata aut dari conſueuerint. LX.

## DE EODEM.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

ET ſi contigerit tempore mortuarij & vacantis priuſquam adminiſtrationi Prioratus, Caſtellaniæ empoſtæ, & commendæ huiuſmodi fuerit prouiſum, & donec Prior, Caſtellanus empoſtæ, Baiuliuus & commendatarius poſſeſſionem adminiſtrationis conſequuti fuerint, & præſentes fuerint, vel de pro- LXI.

curatore ſufficiente, aut vicario legitimo ad huiuſmodi beneficia conferenda vel ad ea preſentandum prouiderint. In commendis Prior, & Caſtellanus empoſtæ, & in eorum defectu Receptor noſtri communis ærarij conferre vel præſentare debeant. Quibus per hoc ſtatutum plenam facultatem & expreſſum mandatum ad id damus.

### IDEM MAGISTER.

LXII. SAncimus, vt Magiſter intra dies octo à die vacationis huiuſmodi beneficiorum in conuentu vacantium numerendos ea conferat. Baiuliui autẽ, Priores, & Commendatarij, ſtatim habita notitia eorundem vacationis, ipſa fratribus noſtræ Religionis, vel alijs cum habitu præſentatis prius in capitulo prouinciali aut Aſſemblea, & ibi approbatis ſecundum formam ſtatutorum conferre aut ad ea præſentare debeant.

### IDEM MAGISTER.

LXIII. STatuimus, vt omnia beneficia eccleſiaſtica noſtri ordinis, quorum collatio aut præſentatio ad noſtrum ordinem pertinet, nullis conferantur, aut nulli ad ea præſententur, niſi ſint fratres ipſum ordinem profeſſi.

## QVOD FRATRES NON IMPETRENT

### *Commendas aut beneficia extra ordinem noſtrum.*

### F. ANTONIVS FLVVIANVS.

LXIIII. SAncimus, quòd nullus frater ordinis noſtri cuiuſcunque conditionis fuerit, clam vel palam, directe vel indirecte, per ſe vel per aliũ impetret, aut petat Prioratus, Caſtellaniam empoſtæ, commendas, dignitates, officia, beneficia, domos, prædia, & alia bona noſtri ordinis à quibuſuis perſonis, niſi tãtum à Magiſtro & conuentu, & religioſis ipſius ordinis ſecundum formam ſtatutorum: ſi quis autem aliter impetrauerit vel obtinuerit aut etiam petierit; volumus & iubemus, quòd eo ipſo & incontinenti teneatur & ſit obligatus cedere & renuntiare huiuſmodi prouiſioni & impetrationi, & omni iuri quod habere poſſit illius occaſione in manibus Magiſtri, aut coram Notario vel teſtibus. Si vero talis impetrans huiuſmodi reſignationem facere recuſauerit aut quouis modo diſtulerit, eo ipſo abſque alia cauſæ cognitione aut proceſſu, intelligatur, & ſit priuatus habitu, & in perpetuum carcerem conijciatur.

## QVOD SECVLARES NON DEPVTENTVR

### *ad regimen commendarum.*

### F. DEODATVS DE GOZONO.

LXV. INhibemus ſub pœna priuationis commendarum omnibus Commendatarijs, & adminiſtratoribus bonorum noſtri ordinis, ne regimini & adminiſtrationi commendarum ſeu Baiuliuarum perſonas ſæculares deputent: Quinimmo earum regimen fratri ordinis noſtri ſeu donato in fratris comitiua cõmendetur, quatenus maiori cura commendarum regimina exerceantur.


VT SOL CVNCTA
SIC OCVLOS.

# DE VISITATIONIBVS
## TITVLVS DECIMVSQVINTVS.

### *DE VISITATIONE Commendarum.*

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STATVIMVS, quòd Priores, & Caſtellanus empoſtæ quolibet quinquennio perſonaliter omnes Baiulias, commendas, domos, membra, Hoſpitalia, Eccleſias, Oratoria, & alia quæcunque loca ſibi ſubiecta diligenter viſitare debeant; & ſuper inutiliter adminiſtratis prouidere teneantur, ne per negligentiam incommoda ſequātur. Eam quoque viſitationem in ſcriptis redigant, cuius tranſumptum authenticum Magiſtro & conuentui mittant. Si verò Priores, & Caſtellanus empoſtæ valetudine, aut alia legitima cauſa impediti fuerint, quominus viſitare poſſint commendas, domos, membra, & alia loca noſtri ordinis ſupradicta in ſuo Prioratu, eo caſu duos fratres vnum militem, qui ſit Commendatarius, & vnum fratrem Capellanum, qui etiam commēdam habeat, ſi reperiri poterit, ſin minus alium fratrem Capellanum aptos, prudentes & idoneos ad dictam viſitationem faciendam eligant & deputent. Si tamen pendente dicto quinquennio, periculum eſſet ne aliquæ commendæ ruinam paterentur: Volumus, quòd non expectato eo termino, Priores, & Caſtellanus empoſtæ ſuper earum reparatione & manutentione diligenter prouideant. Poterunt etiam ſi neceſſarium aut commodum videbitur, ſimul, & ſucceſſiuè plures fratres ad dictas viſitationes faciendas deputari, qui bini (modo quo ſupradictum eſt) ad diuerſas commendas ſe conferent, vt celerius dictę viſitationes confici poſſint. I.

### *DE VISITATIONE CAMERARVM Prioralium.*

IDEM MAGISTER.

QVia Prioribus, & Caſtellano empoſtæ cæteros viſitandi auctoritas commiſſa eſt: Statuimus, vt reciproca poteſtate viſitationis normā ſubeant. Decet enim vnumquemque religioſum, ceruices iugo obedientiæ ſub- II.

mittere, nec delinquendi licentia cuipiam danda eſt. Hoc igitur modo cameræ priorales viſitabuntur. Quolibet quinquennio duo prudentes fratres, ſcilicet, vnus miles commendatarius, & vnus Capellanus (vt ſupradictum eſt) idonei & ſufficientes deligantur, & in capitulo prouinciali deputentur, qui auctoritate noſtra cameras priorales, membra, & domos earum diligenter viſitent, & viſitationem in ſcriptis redigant; & de his quæ inuenerint Prioribus dent notitiam, tempus opportunum ſtatuendo, vt neceſſarijs(prout compererint) Priores ipſi prouideant.

## DE FORMA VISITATIONIS.

### CONSVETVDO.

III. PRior, & Caſtellanus empoſtæ, & viſitatores in facienda viſitatione hoc modo ſe habebunt: Primùm accipient ſecum ſcribam capituli prouincialis, aut Notarium, vel ſi melius videbitur, aliquem ordinis noſtri religioſum; & cum ad loca viſitanda venerint, ante omnia de rebus diuinis inquirant, reliquias, iocalia, ornamenta eccleſiarum & oratoriorum libros, & cæteram ſupellectilem diuino cultui dicatam viſitent. Inſuper inquirant & diligenter, ſi diuinum officium rectè celebratur; & ſi fuerit Eccleſia parrochialis, ſi Curatus, aut Capellanus ritè, debitè, diligenter, & cum veneratione Sacramenta miniſtret, & de eius ſufficientia. Deinde quomodo poſſeſſiones & prouentus commendæ adminiſtrentur, quomodo ſe gerat commendatarius; & generaliter de vita eius & moribus. In ipſo quoque viſitationis proceſſu omnes ſingularum poſſeſſionũ, grangiarum, prædiorum ruſticorum & vrbanorum titulos, & eorum valorem nominatim deſcribent: libros præterea cenſuales, iuriſdictiones, pręheminentias, facultates & priuilegia notabunt, tam in capite quàm in membris. Item onera, lites motas & pendentes, res etiam occupatas (ſi quæ ſint) & à quibus ſint occupatæ, quæ alienata aut deteriorata ſunt, defectus corrigant: quæ reparanda fuerint, ſtatim, aut ad certum tempus reparari mandent, prout rei qualitas poſtulabit. Quicquid compererint in ſcriptis redigi faciant, quorum tranſumptum authenticum manibus ſuis ſubſcriptum, & ſigillis ſuis confirmatum, Magiſtro, & cõuentui mittatur, vt bonorum ordinis noſtri ſtatum cognoſcant, & pro rerum exigentia prouideant.

## DE POENA NON VISITANTIVM.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

IIII. SI Prior, & Caſtellanus empoſtæ huiuſmodi viſitationem facere neglexerit, eo ipſo cenſeatur priuatus omni iuriſdictione & præheminentia Priorali. Alij autem viſitatores, qui ab eodem, aut à capitulo prouinciali ad dictas viſitationes faciendas deputabuntur, niſi ſe legitimè excuſauerint, priuentur fructibus vnius anni commendarum ſeu adminiſtrationum ſuarum, qui communi noſtro ærario applicabuntur: ſi fuerint fratres amittent vnum annum ſuæ antianitatis. In eandem pœnam incurrent dicti viſitatores, ſi Prioribus & Caſtellano empoſtæ, & Commendatarijs in viſitando fauiſſe reperti fuerint, aut eorum defectus, errores, & malam adminiſtrationem occultaſſe.

## DE PÆNA NON REPARANTIVM
*defectus repertos in viſitatione.*

IDEM MAGISTER.

PRiores, & Caſtellanus empoſtæ,& Commendatarij,qui defectus & detrimenta in viſitatione comperta non reparauerint,& emendauerint ſecundum quòd illis iniunctum fuerit,tamquam inobedientes & mali adminiſtratores cenſeantur priuati Prioratibus, & Caſtellania empoſtæ, Baiuliuatibus, commendis & quibuſcunque ordinis noſtri adminiſtrationibus. V.

## QVOD VISITATORES VTANTVR
*moderatis expenſis.*

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

IVbemus, vt Priores, & Caſtellanus empoſtę in viſitandis Prioratibus,ac viſitatores in viſitandis commendis, moderatis expenſis in equitatu & famulis vtantur, ne Commendatarij impenſis exceſſiuis grauentur, quinimmo moderate & temperanter huiuſmodi viſitatio fiat, ne commendatarij viſitati cauſam conquerendi habeant, quo caſu priores & cæteri viſitatores damnū reficere teneantur. VI.

## QVOD COMMENDARVM
*ruinis diligenter prouideatur.*

IDEM MAGISTER.

STatuimus, quòd viſitatores commendarum ac camerarum prioralium ſecundum formam ſtatutorum diligentiam in viſitationibus faciendis adhibeant,vt ruiuis conſulatur hac forma. Viſo valore commendarum, deductis oneribus cōmunis ęrarij ac prius ſolutis,ſeruitio diuino,hoſpitalitate,ac eleemoſynis completis, victu quoque & veſtitu commendatariorum prouiſo, reſiduū ad ædificationem & reparationem deputetur. Quòd ſi viſitatores, Priores, Caſtellanus empoſtę, vel commendatarij in hoc exequendo negligentes fuerint, priuationem prioratuum, commendarum,& dignitatum incurrant,quorum prouiſio Magiſtro & conuentui ſpectat. VII.

## QVOD PRIORES ELIGANT
*Capellanum pro uiſitandis eccleſiis.*

F. IOANNES DE LASTICO.

PRioribus,& Caſtellano empoſtæ licet eligere vnum fratrem Capellanum ordinis noſtri, qui ſacroſancta Eccleſiarum, Oratoriorum, & capellarū, puta reliquias, Euchariſtiam, & alia huiuſmodi in prioratibus viſitet,reformet, & dirigat. Cui quidem ſic electo, vt Prior eccleſiæ conuentus ſuas vices tribuat facultatem atque poteſtatem concedimus. VIII.

## DE MODO VISITANDI COMMENDAS *pro melioramentis.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

IX. IN viſitandis commendis eorum qui ſe meliorare prætendunt hæc forma ſeruanda eſt. Cōmiſſarij deputati per Priorem, aut Caſtellanum empoſtę atque capitulum prouinciale iureiurando adacti debent omni diligentia & cura viſitare commendam tam in capite quam in membris & domibus, & oculate videre quid fuerit melioratum, & quid deterioratum & damnificatum culpa commendatariorum, qui ſe prætendunt meliorare eo tempore quo dictas commēdas poſſederint, quę quidem meliorationes, deteriorationes, & damna, litium ſtatus,& proſequutiones debeant particulariter ſpecificari in literis certificationis, quam ſuper ipſis meliorationibus fecerint: Inſuper quæ lites motæ,& proceſſus facti ſint ſuper bonis & poſſeſſionibus commendæ aut membrorum, & ſi Commendatarius diligenter, & fideliter dictas lites ſuſtinuerit, defenderit, & ſit proſequutus: vt commodo & incommodo æqua lance ponderatis, dignoſcatur an melioratio excedat deteriorationem vel è contra.

## DE IVRAMENTO RECIPIENDO AB *eis quorum commendæ viſitantur.*

### IDEM MAGISTER.

X. VT nihil in commendis non exacte viſitatum relinquatur: Statuimus, vt Prior, Baiuliuus, vel Commendatarius cuius commenda viſitabitur, vel eius procurator finita viſitatione teneatur iureiurando affirmare ſe omnia membra, domos, prę dia, & poſſeſſiones ipſius commendæ fideliter monſtraſſe & manifeſtaſſe, eaque viſitata fuiſſe. Quod ſi aliquod occultaſſe reperietur quod viſitatum non fuerit, dictæ viſitationes nullius ſint valoris, nec commē datarius vigore illarum meliorare ſe poſſit; & ſi ſe meliorauerit redeat ad relictam commendam.

ADMINISTRENT
NON CONTRAHANT FRATRES.



# DE CONTRACTIBVS ET ALIENATIONIBVS.

## TITVLVS DECIMVSSEXTVS.

### F. ALPHONSVS DE PORTVGALLIA.

PROHIBEMVS, ne fratres qui adminiſtrationẽ Baiuliuorum & cõmendarum non habent, venditiones & emptiones exerceant, nec mutuo dent aut ſumant abſque ſuperioris licentia. I

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVicquid in contrarium fecerint, nullum & irritum cenſeatur; & arbitrio Magiſtri & concilij puniantur. II.

## *QVOD FRATRES NON EXERCEANT mercimonia.*

### F. ANTONIVS FLVVIANVS.

FRatribus noſtris cuiuſcunque ſint conditionis prohibitum eſt mercimonia exercere, hoc eſt, emere & vendere res mercantiles lucri gratia: ſi quis contra fecerit cadat in pœnam quarantenę, & eam ſubſtantiam quę in mercantijs ſuis reperta fuerit pro medietate ærario noſtro applicamus, altera vero medietas accuſatori probanti concedatur: ſi tamen nonnulli venientes ad conuentũ, & recedentes de conuentu aliqua haberent, quæ niſi cum detrimento deuehere non poſſent, & ad id euitandũ commutationem aliarum rerum procurarent; talia in eo caſu vendere poſſint, nullam pœnam ſubeundo. III.

## *INHIBITIO FOENORIS ET VSVRÆ.*

### IDEM MAGISTER.

NOn liceat fratribus noſtris quacunque auctoritate fungentibus, fœnus aut vſuram exercere, aut contractus vſurarios vel alios illicitos inire, facere, & committere, quo nil turpius, & religioſo viro magis indignum: IIII.

Si quis autem contra hanc inſtitutionem diuino iuri inhærentem, temerario auſu facere præſumpſerit, ſi commendatarius fuerit eo ipſo commenda priuatus cenſeatur,& decem annos inhabilis ad commendam obtinendam exiſtat: ſi vero frater conuentualis, antianitatem per decennium perdat; in quo termino cabimentũ aut commendam habere non poſſit. Pecunia quoque ex qua fœnus commiſſum eſt, ærario applicetur,& quod vltra ſortem principalem per vſuram acquiſitum eſt ei cum quo vſura commiſſa eſt reſtituatur.

## QVOD BONA ORDINIS NOSTRI non alienentur.

### F. HVGO REVEL.

V. SAncitum eſt, quòd nullus frater ordinis noſtri cuiusuis gradus aut conditionis exiſtat, quacunque vrgente neceſſitate, prædia, poſſeſſiones, domos, vineas, campos, iuraq; Prioratuum, commendarum aut membrorum vendere, impignorare, in emphiteoſim dare, obligare, diſtrahere, ſeu ſuper his mutuum ſumere audeat, ſeu præſumat quouis modo perſonis ſæcularibus, vel his qui extra noſtram religionem degunt, ad vitam vel ad tempus dare ſeu elargiri poſſit, abſque expreſſa licentia & conſenſu Magiſtri & capituli generalis. Qui contra fecerit priuationem habitus incurrat; & nihilominus quicquid aliter & contra præſentem inſtitutionem perpetratum fuerit, nullius roboris & momenti cenſeatur.

## QVOD NVLLVS FRATER IMPIGNORET aut obliget bona ordinis noſtri.

### F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

VI. NOn liceat cuiquam fratri ordinis noſtri quacunq; auctoritate fungenti, ſub colore & prætextu ſigilli prioratuum, aut alio modo bona ordinis noſtri mobilia aut immobilia vendere, impignorare, diſtrahere, aut quouis modo obligare, ſeu conceſſionem vel prouiſionem ad vitam vel ad tempus de his facere perſonis ſæcularibus, aut qui ordinem noſtrum profeſſi non ſunt, niſi de Magiſtri & capituli generalis licentia atq; conſenſu, ſaluo aduocatis ordinis aliquas prouiſiones dare, quæ moderatæ ſint & temperatæ,& non perpetuæ, nec eas commune ęrarium ſoluere teneatur. Qui autem contra fecerit priuationem habitus incurrat, & nullius valoris quicquid contra hanc inſtitutionem factum fuerit, exiſtat.

### F. PETRVS DE CORNILIANO.

VII. NVlli fratrum noſtrorum permittitur commendas vel beneficia ordinis noſtri obligare: ſi autem quis contra fecerit, priuationem habitus incurrat, & obligatio nulla cenſeatur.

## QVOD IN CAPITVLIS SEV ASSEMBLEIS *prouincialibus non tractetur de alienatione bonorum ordinis noſtri.*

F. PETRVS DAVBVSSON.

STatutis maiorum noſtrorum adhærentes ſuper alienationibus factis, & cautius prouidere volentes; Prohibemus ſub pœna priuationis commendarum, Baiuliuatuum, & aliarum dignitatum Prioribus, Caſtellano empoſtæ, Baiuliuis, Commendatarijs, & fratribus ordinis noſtri quibuſcumque, ne tam in capitulo prouinciali, quàm aſſemblea vel extra quouis modo præſumant, cõſultare, proponere, & tractare de alienationibus, hypothecationibus, diſtractionibus, tranſportationibus, aut donationibus im emphiteoſim, aut in perpetuum, ſub quacunque verborum & conditionum forma, de commendis proprietatibus, prædijs, locis, & poſſeſſionibus noſtris, cuiuſcunque conditionis fuerint & qualitatis. Quòd ſi contra fecerint, & de eo conuicti fuerint, eo ipſo cadant in priuationem commendarum ſeu beneficiorum, quorum prouiſio ad Magiſtrum & conuentum deuoluatur. Quòd ſi conuentualis frater fuerit, antianitatem perdat. VIII.

## DE EODEM.

IDEM MAGISTER.

ATtamen non interdicitur facultas & auctoritas Prioribus, & Caſtellano empoſtę pro patria conſuetudine dandi & concedendi in capitulo prouinciali ad annuum cenſum poſſeſſiones, prædia & proprietates, quæ parum aut nil vtilitatis & commodi commendis & religioni redderent, vt meliorentur & augeantur: dum tamen id fiat ad tempus prædiffinitum, quod non excedat annos viginti nouem, ſed pro minori tempore: quibus pręteritis, talia quę ad cenſum annuum data fuerint, ad commendas & Religionem cum melioramentis reuertantur. IX.

## QVOD FRATRES NON ALIENENT *bona acquiſita.*

F. ODO DE PINIBVS.

QVicquid religioſus acquirit, Religioni acquirit. Ideo ſancitum eſt, quòd fratres ordinis noſtri, qui per emptionem, donationem, aut alia quacunque ratione, bona, prædia, cenſus, ſeu annuos redditus, vel iuriſdictionem acquiſiuerunt, & ſibi vẽdicauerunt, nullo pacto abſque Magiſtri & capituli generalis conſenſu vẽdere, alienare, impignorare, aut quouis modo diſtrahere poſſint: ſed ea quæ acquiſiuerunt fratres, vita eorũ durante poſſideant, & teneant: & quod acquiſitum eſt ſibi, liberum & immune ſit cenſu aut alio onere erga quoſcunque dominos eccleſiaſticos vel ſæculares, & illud ſubijcere, ſubmittere, aut pro eo aliquid recognoſcere nullo pacto pręſumant. X.

## DE EODEM.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XI. STatuimus, quòd de cætero omnes & ſinguli fratres, qui hic Melitę vel in Inſula Gauli ement, aut quouis titulo acquirent poſſeſſiones, prædia, hortos, vineas, & bona ſtabilia, illa nullo pacto poſſint vendere, donare, tranſferre, legare, vel aliter alienare, & de eis diſponere abſque expreſſa licentia Magiſtri & concilij, quæ ſcripto authentico conſtet: quæ quidem licentia non extendatur ad tempus infirmitatis de qua deceſſerit, niſi aliter conceſſum fuerit per capitulum generale. Quicquid contra factum fuerit nullius roboris eſſe cenſeatur.

## REVOCATIO ALIENATIONVM.

### IDEM MAGISTER.

XII. ANnullamus, reuocamus, & caſſamus omnes venditiones, donationes, translationes, ceſſiones, impignorationes, conceſſiones in emphiteoſim in perpetuum vel ad longum tempus à fratribus ordinis noſtri præter ſeriem ſtatutorum noſtrorum ſæcularibus aut alijs perſonis factas abſque auctoritate capituli generalis, quas omnes & quaſcunque nullas, irritas, inanes eſſe, & nullam firmitudinem habere declaramus.

## QVOD FRATRES NON INEANT *contractus fictos.*

### IDEM MAGISTER.

XIII. PRohibemus fratribus noſtris, ne quacunque cauſa, pretextu aut colore ineant, vel faciant contractus fictos & ſimulatos, nec etiam chirographa promiſſionum, obligationum, donationum, ſtipēdiorum, aut debitorum cuiuſuis rei vel qualitatis cum quauis perſona: quod ſi facta fuerint, & is in cuius fauorem extiterint non procurauerit re & facto à viuo contrahente aut promittente ſibi ſatisfieri, poſt eius mortem nihil ea ratione conſequi poſſit, nec commune ęrarium teneatur pro eo quidquam ſoluere, tamquam pro confictis & ſimulatis cōtractibus, & in fraudem factis, prout ex nunc fraudulenter factos eſſe declaramus.

### F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

XIIII. ADijcientes, quod nullus fratrum noſtrorum in infirmitate conſtitutus facere poſſit, aut valeat donationē inter viuos, ſeu aliam diſpoſitionem, aut promiſſionem, ſeu conſignationem pecuniarum & bonorū quæ poſſidet, cum non ſua, ſed ordinis ſint, quod ſi fecerit eam & eas, niſi quadraginta dies poſtea ſuperuixerit, nullas, irritas, inanes eſſe, & nullam firmitudinem habere decernimus & pronunciamus.

F. IOAN-

## F. IOANNES DE VALLETTA.

VOlumus autem ſupraſcriptum ſtatutum ad vnguem obſeruari : adijciẽtes, vt fratres noſtri qui huiuſmodi contractus inierint, pœnam infamiæ incurrant ; & ſi commendatarij extiterint, commendis ; ſi fratres vero conuentuales antianitate priuati intelligantur . Eaſdem pœnas conſtituentes in eos qui ſchedulas ſeu alias ſcripturas albas cum ſubſcriptione tantum, quæ Gallicè blancz ſignetz, ac alijs nominibus appellantur, magno cum detrimento & damno ordinis & publici ærarij noſtri facere non venentur . XV.

# PRAECEDAT LICENTIA, SEQVATVR LEX.



# DE LOCATIONIBVS

## TITVLVS DECIMVSSEPTIMVS.

### *QVOD LOCATIO MORTVARII ET vacantis fiat in Capitulo prouinciali.*

F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

INHIBEMVS receptoribus noſtris, vt nullo pacto audeant ſeu præſumant locare, affictare, arrendare mortuaria & vacantia commẽdarum noſtrarum, niſi in Capitulo prouinciali, coram priore & quatuor antianis commendatarijs. Prohibemus etiam ne Prior aut Caſtellanus empoſte, vel receptor ipſe tales locationes ſeu arrendamenta pro ſe ſumere clam vel palã, per ſe vel ſuppoſitas perſonas valeant: qui contra fecerit tanquam inobediens puniatur. I.

### *DE SPOLIIS FRATRVM vendendis, & quomodo fiant arrendamenta per receptores.*

F. EMERICVS DAMBOISE.

STatuimus, vt ſpoliorum bona ad incantum publicum vendantur, & plus offerenti dentur, exceptis vaſis aureis & argenteis, ac alijs iocalibus, quę in eorum propria forma per receptores ad depoſitarios noſtros volumus mittantur, vt inde in conuentum conduci poſſint. Prohibentes ne in ſpolio bona ſtatus commendarum immiſceantur, contra formam ſtatuti. Quantum autem ad iura vacantium, vt in ipſorum locatione & arrendamento commune noſtrum ærarium non defraudetur: ordinamus quòd receptor, tam in loco commendæ cuius adminiſtratio vacauerit, quàm in alijs locis circumuicinis, per publicum proclama det notitiam de arrendamento vacantis faciendo cuicunque etiam ſæculari plus offerenti, & de loco in quo capitulum prouinciale celebrabitur, & arrendamentum fieri debet; & poſtquam plus offerentem intellexerit, ipſum certiorabit quòd ad capitulum prouinciale ſecum accedat, in quo & locis circumuicinis dicto capitulo, iterum præfatũ vacans ad incantum ponetur, & dabitur plus offeren II.

ti etiam ſæculari, qui fratri in æquali precio non poſtponetur. Si autem precium ſecularis ipſe propoſuerit, & arrendamentum vacantis fratri aut alteri ſæculari plus offerenti dabitur, Receptor de pecunijs noſtri communis ærarij eam pecuniæ ſummam illi plus primo offerenti, qui ex loco cõmendæ aut circumuicino ad prouinciale capitulum acceſſerit, elargietur, quæ pro viatico & itineris expenſis tam ad capitulum eundo, quam domum redeundo conueniens videbitur.

F. PETRVS DAVBVSSON.

III. Attamen non impediatur poſſeſſio corporalis ſumenda per prouiſum à noſtro ordine de adminiſtratione illius commendæ locatæ ſeu arrendatæ, licet fructus & redditus arrendatori debeantur.

## *QVOD LOCATIONES MORTVARIORVM & vacantium in conuentu non fiant.*

F. IOANNES DE VALLETTA.

IIII. Statuimus, & expreſſè prohibemus, quòd locationes mortuariorum & vacantium per Magiſtrum & concilium, aut per procuratores communis ærarij, aut aliàs in conuentu non fiant.

## *QVOD DVRANTE MORTVARIO ET vacante non fiant reparationes commendarum.*

F. ANTONIVS FLVVIANVS.

V. Prohibemus, quòd fratres ordinis noſtri, & alij qui pro tempore mortuarij & vacantis commendas conducunt, & in arrendamentum ſumunt, nullo pacto debeant aut poſſint quouis modo facere reparationes, & ædificia erigere in eis commendis, mortuario & vacante durantibus, niſi dictæ reparationes eſſent neceſſariæ, quæ tamen moderatè fiant, & ſecundum facultatem cõmendæ ad conſilium & iudicium duorum vel trium commendatariorum: ne fratres noſtri quibus dictæ commendæ committentur, prætextu talium reparationũ, ita grauentur, quòd eas ſoluere non poſſint: ſi quis autem huiuſmodi reparationes præter huius noſtri ſtatuti tenorem fecerit, de eis nullam ſatisfactionem ab ærario aut à fratibus habeat; quinimmo impenſa eorum qui eas fecerunt factæ cenſeantur.

## *DE EXPENSIS FACIENDIS IN COMmendis tempore mortuarij & vacantis.*

F. IOANNES DE VALLETTA.

VI. Mandamus, vt Receptores, lites ſuper prędijs & poſſeſſionibus commendarum vel membrorum motas, vel pro tempore mouendas proſequi omni ſtudio & fide, expenſis communis ærarij noſtri debeant, & procurẽt, quas

impen-

impenſas futuri commendatarij poſt ſex menſes à die receptionis fructuum integrè noſtro ærario ſoluere tenebuntur: pro quibus perinde ac ſi pro iuribus communis ærarij debitores extitiſſent, conſtituentur & iudicabuntur debitores.

## CVIVS LICENTIA COMMENDÆ *locari debeant.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

STatuimus, vt nullus frater ordinis noſtri cuiuſcunque conditionis fuerit Prioratum, Baiuliam, commendam, domos, membra, prædia, & alia bona quæcunque noſtri ordinis illius adminiſtrationi commiſſa, locare, vel arrendare poſſit ſine licentia Magiſtri, quę quidem licentia dari non poſſit niſi pro tribus annis, abſque anticipatione pecuniarum, pręterquam illis qui in conuentu ſunt, vel ad eum venire voluerint: qui fructus vnius anni tantum anticipare poterunt, quòd intelligitur elapſis mortuario & vacante. VII.

### F. IOANNES DE VALLETA.

ET niſi in termino vnius anni à die locationis factæ in conuentum ſe contulerint, fructus vnius anni dictarum commendarum communi ærario applicandos perdant, niſi aliqua infirmitate, vel alia graui cauſa impediti fuerint, quominus venire non poſſint, de qua Magiſtro intra ſex menſes conſtare facere debeant; & nihilominus eo impedimento ceſſante, infra præfatum terminum in conuentu comparere ſub eadem pœna teneantur, & ſint obligati. VIII.

## QVIBVS COMMENDÆ *locari non debent.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

INſuper ea non poterunt locare potentibus dominis eccleſiaſticis vel ſæcularibus neque etiam vniuerſitatibus, & collegijs, nec ipſi qui ea conduxerint, aut arrendauerint ius ſuę conditionis, & arrendamenti in tales perſonas transferre. Qui contra fecerit perdet vnum annum rei quam locauerit in fauorem noſtri communis ærarij, & locatio nullum effectum habebit. Quas ſupradictas conditiones nominatim in licentijs inſeri mandamus. IX.

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

ADijcientes, vt commendatarij poſtquam ſuas commendas locauerint, debeant & teneantur mittere ad Receptores contractus locationis copiam ſiue tranſumptum; alioquin ipſæ locationes, obitu commendatariorum eo tempore contingente, irritæ, nulliuſque valoris & momenti ſint, etiam ſi de licentia Magiſtri initæ, & factę fuiſſent. X.

# DE ARRENDAMENTO
## Commendæ noſtræ Cypri.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XI. STatuimus, quòd decedente arrendatore ſeu conductore magnæ commendæ noſtræ Cypri, dicta commenda locari debeat alicui fratrum noſtrorum, aut alteri plus danti & offerenti, pro eo tempore & ſumma, quæ Magiſtro & concilio videbitur. Quicquid ex huiuſmodi arrendamento procedet, ad commune noſtrum ærarium pertinebit.



PROHIBEAT OBSERVANTIA POENAS.

# DE PROHIBITIONIBVS ET POENIS, TITVLVS DECIMVS OCTAVVS.

## *QVOD NON LICET FRATRIBVS TEſtamenta condere, hæredem conſtituere, aut legata facere.*

F. HVGO REVEL.

VOTVM paupertatis id exigit, vt bonorum diſpoſitio liberæ voluntati non ſubiaceat. Non licet igitur, nec quoquomodo permittitur Baiuliuis, Prioribus, Caſtellano empoſtæ, commendatarijs, aut alijs ordinis noſtri fratribus teſtamentum condere, vel heredem inſtituere, ſeu legata facere, atque etiam ſeruitoribus, ſeu alijs aliquid elargiri, niſi tantum eorum ſtipendia, ac debitorum & creditorum declarationem redigere, & cum licentia Magiſtri de eorum moderata portione diſponere. I.

## *DE EODEM.*

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVæ quidem portio non excedat quintam partem pecuniæ numeratæ, aut bonorum mobilium, deductis ex huiuſmodi bonis omnibus debitis, & ære alieno, tam noſtri communis ærarij quàm aliorum, ac creditis, quæ integrè reſeruantur ipſi ærario. Magiſter autem non niſi de licentia capituli generalis, aut in articulo mortis concilij completi, de aliqua parte mobilium ſuorum diſponere poſſit. II.

F. NICOLAVS LORGVE.

NOn liceat cuiquam fratrum noſtrorum aliquem in ſacri baptiſmatis fonte recipere abſque ſui ſuperioris licentia, niſi baptizandus eſſet filius Baronis aut maioris Domini. III.

## *QVOD FRATRES NON SE INTROMITTANT in cauſis ſæcularium.*

F. HVGO REVEL.

INhibemus omnibus ordinis noſtri fratribus, ne quoquomodo de perſonis ſæcularibus, quæ propter delicta ſua, hic in noſtra iuriſdictione capitis IIII.

pœnam incurrunt, ſe intromittant, aut eis fauorem ſeu auxilium præſtent vel dari procurent. Quinimmo tales criminoſi pro demeritis condemnandi & puniendi, curiæ ſæcularis iudicum libero iudicio permittantur.

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

V. QVibus tamen pro quocunque delicto & crimine accuſatis, ſui defendendi facultatem concedimus.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

VI. NEque etiam in cauſis ciuilibus eorundem ſęcularium quoquomodo clam vel palam, per ſe aut per alium ſe intromittant. Qui contra fecerit grauiter plectatur ad arbitrium magiſtri & concilij.

## QVOD FRATRES NON INTERCEDANT *pro fratre delinquente.*

### F. IOANNES DE LASTICO.

VII. STatuimus, quod quotieſcunque iuſtitia de aliquo fratre delinquente miniſtrari debet, non liceat cuiquam fratrum noſtrorum pro ipſo intercedere aut precari, donec ſententia lata fuerit. Tunc enim pro moderatione pœnæ condemnati intercedere poterit. Is vero ad quem remiſſio pertinet, pro arbitrio ſuo pœnam mitigabit, aut exequi faciet.

### F. ELIONVS DE VILLANOVA.

VIII. NVlli fratrum noſtrorum, aut ſæcularium omnino liceat tranſportare aut ducere extra conuentum aliquam equitaturam, niſi de expreſſa licentia Magiſtri, qui cum proborum conſilio eam elargiri poſſit.

## QVOD FRATRES IVRAMENTO VEL *confederatione nemini ſe adſtringant.*

### F. RAYMVNDVS BERENGARIVS.

IX. NOn licet fratribus noſtris aliquo pacto ſe, homagio, confederatione vel iuramento alicuius, modo Hiſpanię aut aliter, ſine Magiſtri ſeu Prioris & Caſtellani empoſtæ licentia adigere vel adſtringere, nec concilia ſiue cōuenticula inire aut facere. Qui vero contrafecerit, pœna priuationis habitus plectetur, quem ſi recuperauerit, nihilominus decennio adminiſtratione commendæ ſeu Baiuliæ gaudere non poſſit.

## QVOD FRATRES NON acceptent res litigioſas.

### IDEM MAGISTER.

PRohibemus, ne fratres ordinis noſtri aut donati, conceſſionem, donationẽ vel ceſſionem rei litigioſę à ſæculari perſona percipiant, acceptent, vel emant. Qui contra fecerit perdat habitum; & ſi donatus ſit, comitiua fratrum priuetur, & in carcerem trudatur. X.

## QVOD FRATRES EXTRA COMMENDAS vel prioratus non vagentur.

### F. PHILIBERTVS DE NILLIACO.

PRohibemus, quod commendatarij & fratres ordinis noſtri, extra prioratus, Caſtellaniam empoſtæ, & commendas quarum obediẽtiæ ſuppoſiti ſunt nullo pacto exire valeant, iniuſſu Magiſtri, aut Prioris vel Caſtellani empoſtæ, aut commendatarij, quorum licentia id facere poſſint ad tempus, ſi neceſſitas aut vtilitas Religionis impulerit, & non aliter: Nec Prioribus ſine Magiſtri licentia aut eius locumtenentis, extra prioratum vel Caſtellaniam empoſtæ exire licitum eſt, niſi negocio noſtri ordinis arduo impellente, vel aliud graue vrgeat, quod commodè aliter fieri non poſſet. Nec commendatarius extra commendam recedere poſſit, niſi veniat ad conuentum in ſeruitijs ordinis, aut fungatur officio legationis vel alterius commiſſionis Religionis, vel ſi tutè in commendis manere nequeat; aliter faciendo perdat redditus commendæ, durante tempore ſuæ abſentiæ, qui ærario applicentur. XI.

## DE FRATRIBVS VAGABVNDIS.

### F. ANTONIVS FLVVIANVS.

PRecipimus, vt omnes commendatarij & fratres, qui vagos religioſos noſtros extra limites ſuæ obedientiæ abſq. ſuperioris licẽtia inuenerint, detineant & in carcerẽ conijciant, notificẽtq. Priori vel Caſtellano empoſtæ, vt prouideant ſecundum ſtatutorũ noſtrorũ formã, tãquam de inobediẽtibus. XII.

## QVOD FRATRES NON DISCEDANT à Conuentu ſine licentia.

### F. IACOBVS DE MILLY.

NOn licet, nec quoquo modo permittitur quibuſuis ordinis noſtri fratribus, quacunq. dignitate officioq. fungentibus, à Conuentu abſq. expreſſa Magiſtri licentia in ſcriptis redacta, clam vel palam diſcedere. Si quis autem contra fecerit, eo ipſo abſq. alia monitione aut citatione, habitu, commendis, & beneficijs priuetur. XIII.

## NE FRATRES OCCVPENT Commendas.

### F. ANTONIVS FLVVIANVS.

XIIII. STatuimus, quòd ſi fratres ordinis noſtri per vim atque violentiam, ſeu cō tra voluntatem Magiſtri, Prioris, & Caſtellani empoſtæ, vel fratris ad quem id pertineret, præſumant vſurpare, occupare, & retinere commendas, membra, domos, & alia quecumque bona aut beneficia ordinis noſtri, perdant habitum, & carceri mancipentur: Quibus ſi de habitu gratia facta fuerit, Baiuliam ſeu aliud regimen per decennium conſequi non poſſint. Adijcientes, quòd Prior, Caſtellanus empoſtæ ad inſtantiā fratris cui commendæ, bona, vel beneficia ſpectant, teneatur & debeat totis viribus occupatorem expellere, & commendas aut beneficia in ſuam poteſtatem redigere, ac poſſeſſionem pacificam prouiſo legitimè dare. Quod ſi facere nequiuerint, ad hoc agendum brachium ſeculare inuocare poſſint vterque, tam Prior quàm frater ad quem commendæ ſpectabunt. Id quoque Prior exequi tenetur ſub pœna priuationis vnius cameræ, quam amittat, ſi authenticè conſtabit ea exequi neglexiſſe. Nihilominus, quia in Prioratu Angliæ, commendæ ordinis noſtri pauca vel nulla fortalicia habent, quare violentia dari non poteſt: Ideo Prior dicti prioratus tenetur ad omnem requiſitionē fratris prouiſi per Magiſtrum & conuentū dare poſſeſſionem pacificam commendæ vel beneficij de quo fuerit prouiſus: Et ſi talis frater oſtenderit authenticè requiſiuiſſe occupatorem de habenda poſſeſſione, & pariformiter Priorem, qui non obſtāte inſtantia negligens fuerit in exequutione præmiſſorum, eo caſu vna ſuarum camerarum Prioralium priuatus cenſeatur, quæ quidem cameræ & commendæ per Magiſtrum & conuentum concedantur fratri, cuius commendæ occupantur.

## NE FRATRES IMPETRENT LITERAS commendatitias pro obtinendis commendis.

### F. ELIONVS DE VILLANOVA.

XV. PRohibitum eſt ſub inobedientiæ pœna, ne aliquis frater cuiuſcunque conditionis fuerit, literas commendatitias aut comminatorias à quoquam impetret, vt commendas aut beneficia noſtri ordinis illarum vigore conſequi aut obtinere poſſit, ſeu quouis modo præſumat. Ab his tamen qui ordinem noſtrum profeſſi ſunt literas obtinere licitum eſt, quibus virtus benemeritorum commendatur, nec ex eorum repugnantia damnum ſequi poterit.

### F. PETRVS DAVBVSSON.

XVI. FRater qui tales literas impetrauerit perdat antianitatē per terminum decem annorum, facultas quoque datur vnicuique accuſandi & probandi impunè contra tales, vt ab inſolentia fratres cohibeantur.

## QVOD FRATRES QVI OFFICIA *ordinis noſtri exercent, nauigia non arment.*

F. EMERICVS DAMBOISE.

STatuimus, quòd de cætero nullus ordinis noſtri frater, cuiuſuis gradus aut dignitatis exiſtat, qui habeat curam & adminiſtrationem iuſtitiæ, vt puta Seneſcallus noſter, Caſtellanus, officiales, & qui cuſtodiunt bona ordinis noſtri, quemadmodum Conſeruator generalis, Magiſter domus noſtræ, Receptor noſter, Commendatarij Tercinalis, Granarij, & Artillariæ, & illi qui ab ipſis dependent, per ſe vel interpoſitas perſonas, clàm vel palàm vel alio quouis quęſito colore, nauigia pro bello infidelibus inferendo, ſiue curſu armare poſſint, aut in armamento per alios facto participare, aut in armamentis iam factis perſeuerare ſub pœna amiſſionis officij, de quo ſtatim prouideatur, ac ſi tempus ſtatutum tranſactũ eſſet, atque etiam confiſcationis precij armamẽti, & lucri inde ſubſequuti in fauorem & commodum noſtri communis ærarij, excepta tertia prędictorum parte, quæ accuſatori dabitur ſine aliqua diminutione vel remiſſione; Atque id ipſum ſtatuitur de capitaneis galearum, ac ipſorum officialibus, ſub eiſdẽ pœnis, ſi pro curſu armauerint. Cõceditur tamẽ vt pro ſocietate triremium, & pro habenda aliqua notitia, aut vrgenti neceſſitate vel negocio, ſi bergantinos aut fuſtas armauerint, id ſine pœna & reprehenſione facere poſſint. Si verò fraudulenter aliquis, tam frater quàm ſæcularis præſumpſerit nomen ſuum in dicto armamento falsò imponere, ac prædictis officialibus clàm participare, eandem confiſcationis pœnam incurrat, & de falſo puniatur, & tamquam periurus tractetur. XVII.

## QVOD NEMO IN CONVENTV NAVIgia armare poßit, niſi de Magiſtri & concilij licentia.

F. BAPTISTA DE VRSINIS.

SAncimus, quòd Triremes, Biremes, & alia cuiuſuis generis nauigia à nullo ſiue fratre ſiue ſęculari in cõuentu noſtro poſſint armari, niſi de Magiſtri & concilij ordinarij licentia: Qui contrafecerit nauigiũ perdat, quod communi noſtro ęrario applicetur. XVIII.

## DE EODEM.

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

QVæ licentia in ſcriptis detur. Qui autem cum huiuſmodi licentia armabũt preſtare teneantur cautionem idoneam, quòd chriſtianos & bona eorum non moleſtabunt aut deprædabuntur: fratres autem noſtri hanc licentiam obtinere non poſſunt, niſi qui annos quinque in conuentu moram traxerint. Illi tamen qui in ſubſidium Religionis ex partibus occiduis venire voluerint, abſque licentia armare poſſunt. XIX

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XX. FRatres autem qui de licentia Magiſtri & concilij armauerint, antianitate gaudent, ac ſi in conuentu reſidentiam facerent.

## NON DETVR SALVVS *Conductus Piratis.*

### F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

XXI. PRohibemus, ne de cętero cõcedatur ſaluus cõductus piratis, niſi per Magiſtrũ & conciliũ ordinariũ & vrgenti neceſſitate, aliter non, nec etiã detur ſaluus conductus fugitiuis aut mercatoribus fallitis, niſi ex vrgẽti cauſa.

## DE INDVCIIS NON INEVNDIS NISI *per Magiſtrum & Concilium.*

### F. BAPTISTA DE VRSINIS.

XXII. AD ſcandala & damna quę oriri poſſunt euitanda, ſancimus quòd in ordine noſtro non poſſint iniri aut componi induciæ, vel pax cum Turcis, Mauris, aut alijs infidelibus, niſi dumtaxat cum deliberatione Magiſtri, & concilij completi. Quòd ſi aliter factum ſit, penitus caducum cenſeatur:

## DE BOMBARDIS ET MACHINIS *non extrahendis.*

### IDEM MAGISTER.

XXIII. STatuimus, quòd Bombardæ, Colubrinæ, Machinæ & Artilleriæ bellorum vſui aptę, aut etiam pulueres & ſalpetræ communi ærario ſpectantes, nullo modo per quempiam ab inſula noſtra, ſeu locis Religionis noſtræ extrahi quauis de cauſa poſſint, & in alia loca trãsferri; Magiſter tamen & conciliũ completum, ſi cauſa conueniens videbitur & neceſſitas vrgeret, de talium tranſportatione & tracta, decernere ſecundum rerum ingruentiam poterunt.

## QVOD FRATRES NON SE IMMI*ſceant bellis Chriſtianorum.*

### F. IOANNES FERDINANDVS DE HEREDIA.

XXIIII. STatuimus, quòd fratres ordinis noſtri non implicent ſe bellis & gentibus armorum Chriſtianorum ad inuicem, quòd ſi quis cõmiſerit, habitũ perdat, quem ſi de gratia ſpeciali recuperauerit, commendarum, bonorum

ac etiam

ac etiam beneficiorum noſtrorum adminiſtratione per decē annos priuetur, quam habere non poſſit niſi decennio elapſo. Inhibentes Priori & Caſtellano empoſtæ ac commendatarijs, ne dent licentiam fratribus ſe exercendi in bellis Chriſtianorum, niſi eis iniunctum eſſet à Principe vel Domino prouinciæ, quia tunc licentiā concedere poſſunt. Attamen eo in caſu arma ſeu inſignia Religionis deferre non poſſunt: ſed ſi pro defenſione Religionis, vel in comitiua Prioris talibus bellis ſe immiſcuerint, tunc inſignibus ordinis noſtri vti poſſunt.

## QVOD NEMO PETAT *officium in Concilio.*

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

PRohibemus fratribus ordinis noſtri, ne de cætero ad petenda officia ad cōcilium accedant, nec Magiſter & concilium quemquam ad petitionem eorum admittant; ſed prout quempiam ad exercenda officia aptum & idoneum cognouerint, ei dicta officia committant. Si quis cōtrafecerit, toto eo anno nullum ordinis noſtri officium conſequi poſſit. XXV.

## QVOD NVLLVS SINE *habitu ambulet.*

### IDEM MAGISTER.

QVi ſine habitu ordinis noſtri ambulauerit, ideſt qui crucem lineā veſti ſuæ inſutam palam & apertè non tulerit, pro prima vice condemnetur ad quarantenam, pro ſecunda ad carcerem turris per tres menſes, pro tertia habitu priuetur. XXVI.

## QVOD ANTE CONDEMNATIONEM *nemo dicitur eſſe in iuſtitia, quominus aſſequi poßit Commendas.*

### IDEM MAGISTER.

SI quis fratrum noſtrorum propter aliquod delictum, culpam vel negligentiam inquiſitus vel accuſatus fuerit, non cenſeatur eſſe in iuſtitia, quantum ad obtinendas commendas noſtri ordinis quæ ei cōtingere poſſent, niſi poſtquam pro eo delicto condemnatus fuerit, etiam ſi in carcere detineatur; condemnatus autem durante condemnatione, priuſquam ſit legitimè abſolutus, vel pœnam ſibi iniunctam compleuerit, non poſſit commendam, beneficium, aut aliud ordinis noſtri officium conſequi. XXVII.

QVOD

## QVOD FRATRES TVMVLTVS IN albergijs non faciant.

### IDEM MAGISTER.

XXVIII SI qui fratres noſtri in albergijs, in quibus comedunt, inſolenter & immoderatè ſe geſſerint, tumultus cõcitauerint, ianuas, oſtia, ſcamna, menſas vel aliud quid ſimile fregerint, aut temerariè proiecerint, puniantur pœna Magiſtro & concilio beneuiſa, vſq. ad diminutionem antianitatis incluſiuè. Si autem Pilerij famulos, pueros, aut ſeruos percuſſerint, aut verberauerint; ſi ſine ſanguine, pro prima vice ſint in quarantena, pro ſecunda in turri per ſex menſes, pro tertia perdãt duos annos ſuæ antianitatis, ſi cum ſanguinis effuſione, & vulnus ſit leue, pro prima vice ſint in turri per ſemeſtre, ſi vulnus fuerit graue & enorme, perdant antianitatem,

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

XXIX. SI autem verba iniurioſa in palatio Magiſtrali in alium fratrem protulerint, tres annos, in albergijs autem duos antianitatis habitæ ſeu habendę amittant. Si verò ad arma deuenerint vel alapa percuſſerint, habitu priuentur, ſi vulnerauerint in dictis locis, habitum irremiſſibiliter perdant, ſi occiderint, vltra habitus priuationem curię ſæculari tradantur.

## CASVS PER QVOS FRATRES HABITV priuantur.

### F. NICOLAVS LORGVE.

XXX. INdignum eſt vt qui ſeſe grauiſſimo ſcelere inficiunt, habitu ordinis noſtri inſigniti incedant. Qui ergo facinora quæ ſequuntur perpetrarint, habitu perpetuò priuentur, Hæreticus, ſodomita, latro, fur, profuga ad infideles: Is quoque qui vexillum ſeu ſtendardum ordininis noſtri in bello infidelium explicatum reliquerit. Qui deſerit fratres in pugna. Qui caſtellum aut locum infidelibus dederit; conſultores quoque & conſcij huiuſmodi deditionis: quod tamen cognitioni Magiſtri & procerum reſeruatur. Pręterea qui caſtellum ſitum in confinibus infidelium alio loco exierit quàm porta. Qui etiam trina vice cętum fratrum ſponte ſine licentia reliquerit, vt ad aliam ſe transferat religionẽ, amplius in noſtram non admittatur. Qui falſum teſtimonium tulerit. Qui aut equeſter aut pedeſter intenderit deprædationi in exercitio armorum, habitũ perdat, quem reaſſumere non poſſit ante vnius anni lapſum. Frater etiam qui alium fratrem accuſabit de aliquo caſuum prędictorum, offeretq. ſe illud probaturum, ſi ſuam intentionem non probauerit, habitum perdat.

### F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXXI. FAlſarij quoq. litterarũ, ta m ordinis noſtri quàm aliorum, & qui de periurio conuicti fuerint, habitu priuentur.

F. PETRVS DE CORNILIANO.

FRater qui homicidium commiſerit, habitu perpetuò priuetur, & carceri mancipetur: ne tantum facinus cæteri committere præſumant, & noſtrorum cętus commilitonum pacificus & quietus reddatur. XXXII.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

QVi proditoriè & ex occulto vel conſilio meditato alium fratrem vel ſęcularem, quamuis leuiter vulnerauerit, habitu perpetuò priuetur. XXXIII

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

QVi à ſanctiſſimo inquiſitionis officio hæreticæ prauitatis damnati fuerint, & habitum pænitentiæ geſtauerint, habitum ordinis noſtri nullo modo habere, nec, ſi habuerint geſtare poſſint. XXXIIII.

## DE PERCVSSORIBVS.

CONSVETVDO.

SI frater alium fratrem percuſſerit, ſit in quarantena, & ſi vulnerauerit ad ſanguinem, excepto naſo vel ore, perdat habitum, & ſi nitatur percutere gladio, aut lapide, vel alio genere armorum, & tamen non percuſſerit, ſit in quarantena. XXXV.

## MODERATIO PRÆCEDENTIS *ſtatuti.*

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

QVia nimis durum & rigidum eſſe videtur, vt qui ſcilicet pro quocunque vulnere illato ad ſanguinis effuſionem, excepto ex ore & naſo, habitum perdat; cum interdum expediat legem è venientibus caſibus moderari; decernimus & ſtatuimus, vt quando frater alium fratrem vulnerauerit, ſit in arbitrio Magiſtri & concilij ſtatuti, pœnam pro delicti qualitate & circumſtantijs mitigare. XXXVI

## DE POENA FRATRVM QVI PER *proditionem alios occidunt.*

F. PETRVS DE MONTE,

FRater qui proditoriè alium fratrem vel ſæcularem qualicumque genere armorum occiderit, aut occidi curauerit, habitu priuetur; & mox ſine vlla alia dilatione curię ſæculari tradatur, & remittatur: eadem pœna conſcij huiuſmodi facinoris plectantur. XXXVII.

DE

## DE POENIS QVÆ INFLIGVNTVR *prouocatoribus & acceptatoribus duelli.*

F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

XXXVIII IMpietati eorum, qui animarum ſuarum ſalutẽ paruipendentes, duelli pugnę ſeſe committunt,& cruentę morti corpora ſua exponunt,obuiam ire volentes: Statuimus, vt ſi frater fratrem verbo, ſcripto aut internuncio, vel quouis alio modo ad duellum prouocauerit, ſeu diſfidauerit, & prouocatus non acceptauerit,præter pœnas per ſacrum Concilium Tridentinum,& conſtitutionem fel.recor. Gregorij XIII. inflictas, prouocans perpetuò habitu ſine aliqua remiſſione priuetur; & ſi acceptauerit,licèt ad locum deſtinatum non peruenerint, vterque in priuationis habitus pœnam, ſine ſpe veniæ incurrat:ſi vero ad locum deſtinatum peruenerint,etiam ſi ſanguinis effuſio ſubſequuta nõ fuerit, poſt habitus priuationem curiæ ſæculari tradantur. Qui cauſam huiuſmodi duelli & diſfidationis dederit,ſeu conſilium, auxilium, fauorem tam in iure quam in facto prę ſtiterit, aut quacunq. alia ex cauſa aliquem ad prouocandum perſuaſerit, ſi comes & ſocius fuerit, priuationis habitus pœna plectetur:in eandem pœnam incurrat qui ad ſpectandum vocatus fuerit,& libellum diſfidationis in quibuſcunq. locis affixerit vel affigi fecerit.

## DE FRATRIBVS QVI TVmultus *de die aut de nocte faciunt.*

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

XXXIX STatuimus, quòd frater qui contra fratrem aut alios,in conuentu vel alijs locis inſularum noſtrarum quouis armorum genere, diurnos aut nocturnos tumultus fecerit,perdat habitum. Si qui vero noctu laruati aut diſſimulato habitu,vel cum armis longis haſtatis aut ſclopis & ſecretis armis cooperti, per turmas vel ſoli incedentes,vel per turmas ſine armis longis reperti fuerint, ſint in turri per ſex menſes.

## DE IVRAMENTIS.

CONSVETVDO.

XL. SI frater palam iurauerit,pro prima vice moneatur,pro ſecunda ſit in ſeptena,pro tertia in quarantena;pro quarta,ſi in delicto perſeuerauerit, perdat habitum.

## DE BLASPHEMIIS.

F. PETRVS DAVBVSSON.

XLI. STatuimus, quod qui ſacratiſſimum Dei nomen ac Beatæ Mariæ Virginis & ſanctorum eius blaſphemauerit vel abnegauerit, pro prima uice ſit in quarantena,pro ſecunda in turri per bimeſtre,pro tertia in carceribus ad ordinationem Magiſtri & concilij.

## DE INIVRIIS.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

FRater qui rixatus fuerit,& calore iracundiæ accenſus alteri fratri iniurioſa verba dixerit,pœna quarantenæ puniatur, etiã ſi fateatur ſe mentitum fuiſſe, atque eum pænitere tales iniurias protuliſſe. Si vero contumelioſè dixerit eum mentitum fuiſſe,perdat duos annos antianitatis:ſi vero infamiam irrogauerit,pœna erit arbitrio Magiſtri & concilij,quam ſtatuent ſecundum qualitatem perſonarum & infamiæ. Si baculo,arundine,alapa,& his ſimilibus fratrem percuſſerit,tres annos antianitatis perdat. XLII.

## DE PERCVSSORIBVS *ſæcularium.*

F. PETRVS RAYMVNDVS ZACOSTA.

STatuimus,vt quicunque frater ordinis noſtri,baculo,enſe, aut alio genere gladij perſonas ſæculares cæciderit,aut verberauerit clam, vel palam per ſe vel per alios, turri coerceatur per bimeſtre. Si autem graue vulnus vel enorme intulerit,perdat antianitatem;quam pœnam pariformiter incurrat ſi bandulas vel partialitates duelli pro quocunque cœperit: ſi vero homicidium commiſerit, habitu priuetur; quem nullo vnquam tempore adipiſci poſſit, ſed perpetuo carcere teneatur. Ita quòd propter hos caſus nullo modo delinquentes poſſint poni in ſeptena vel quarantena: quod ſi ponantur nihilominus dictis pœnis plectentur. XLIII.

## DE MOLESTATORIBVS POPVLI.

F. EMERICVS DAMBOISE.

STatuimus, quod qui non inuitatus, & abſque voluntate patris familias domum quorumuis ciuium vel popularium intrauerit, & eorũ conuiuijs choreis, nuptijs,aut alijs negocijs intererit, perdat antianitatem duorum annorum in fauorem filiorum Arnaldorum ſine ſpe veniæ. Si vero diurno vel nocturno tempore præfatorum ſubditorum noſtrorũ portis aut feneſtris quouis modo violentiam fecerit, vltra pręmiſſa ſit in aſpero carcere ad ordinationem Magiſtri & concilij, & accuſator poterit vti ſæculariũ perſonarum teſtimonio; eandem etiam antianitatis pœnam incurrat qui laruas ſeu camiſellas fecerit. XLIIII.

## DE EODEM.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

SI quis vero portas aut feneſtras noctu fregerit, vel eas muro vel cemento obturauerit,vel aliqua immunda materia obliuerit, aut lapidibus pulſauerit perdat trium annorum antianitatem; relinquentes Magiſtri & concilij arbitrio in eos, ſi viſum fuerit,grauius animaduertere. Si autem ignem iniecerit & combuſſerit,habitu priuetur: ſi iniectus ignis non nocuerit,priuetur antianitate trium annorum. XLV.

## NE QVIS APPONAT MANVM ſpolijs aut iuribus ærarij.

### F. ELIONVS DE VILLANOVA.

XLVI. BOna ſpoliorum fratrum noſtrorum pleno iure noſtro communi ęrario ſpectant & pertinent. Ideo nulli licet nec aliquo modo permittitur, niſi his qui auctoritatem ab ærario habent ſumendi, tractandi, aut capiendi pecuniam, vaſa argentea, aurum, argentum, iocalia, ſeu quæcunque alia bona fratrũ decedentium. Qui contra fecerit, ſi quod captum fuerit marcham argenti excedat, habitu priuetur; ſi intra marcham damnum fuerit, quarantenæ pœna plectetur: pariformiter qui manus reſponſionibus & iuribus, ęrario, Magiſtro, & conuentui pertinentibus appoſuerit, aut ea ſurripuerit, perdat habitum, & nihilominus quod ſubtractum fuerit ex bonis delinquentis communi ærario reſarciatur.

## MODERATIO PRÆCEDENTIS ſtatuti.

### IDEM MAGISTER.

XLVII. ET quia id rigidum ſeuerumq. nimium videtur, vt pro quolibet exceſſu vltra marcham argenti religioſus habitũ perdat, cum delicta circumſtãtijs plurimum grauentur, eius quoque delicti qualitas ſit conſideranda, & maturo conſilio ponderanda. Quotieſcumque igitur querela de damno vltra marcham argenti per Magiſtrum fiet, primum querela ad concilium deferatur, vbi maturè delictum diſcutiatur: Atteſtationibus quoque authenticis & legitimis, vel rei & accuſati confeſſione delictum innoteſcat, & cauſa querelæ lucidius appareat. Quibus peractis in publica aſſemblea iterato querela fiat, & coram Sgardio reo audito, maturè & cõſultè agitetur & diſcutiatur, atque delicti, de quo ſit querela, qualitate, circunſtantijs quoque, & rei ſeu accuſati vita, conditione, & conuerſatione, meritiſq. penſatis, & cum grauitate conſideratis, iuſtitia æqua lance & ſtatera adminiſtretur.

### F. IOANNES DE VALLETA.

XLVIII PRæter pœnam in ſuperioribus ſtatutis conſtitutam, ſtatuimus, vt ſi quis manum ſpolijs aut iuribus noſtri communis ærarij appoſuerit, eius filij arnaldi, ſi id probare potuerint, in aſſequutione commendarum & bonorum illum præcedere debeant: Quod ſi probare attentauerint, & in probatione defecerint, eidem pœnę ſubiaceant.

### F. DEODATVS DE GOZONO.

XLIX. INſolentiam peruerſorum opprimere cupientes, Sancimus, quòd quicunque frater ceruicem in Superiorem erigens, caſtellum aut fortalicium contra Superiorem, vel Priorem & Caſtellanum empoſtæ rebellabit, tenebit, aut occupabit, pœna habitus damnetur, & in carcerem trudatur.

# DE CONCVBINARIIS.

## F. ANTONIVS FLVVIANVS.

OPtima ratione ſancitum eſt, vt nullo pacto fratribus ordinis noſtri, cuiuſuis fuerint conditionis, liceat concubinas in propria domo aut extra habere, tenere, aut educare, earumq. conſuetudine vti. Quòd ſi quis poſtpoſita bonæ famæ celebritate, contrarium facere præſumpſerit, & publica laborante fama, atteſtationibus fide dignis, aut propria confeſſione hoc crimine conuictus fuerit, trina monitione à ſuperiore prius facta, vt deſiſtat, & infamiæ delictum abijciat; ſi nihilominus quadraginta dies à prima monitione facta computandos contumaciter perſeuerauerit, ſi delinquens Commendatarius fuerit, eo ipſo, nulla alia ſolemnitate requiſita, commendis priuatus cenſeatur; ſi verò frater conuentualis, eo ipſo perdat antianitatem; & nihilominus tales conuicti in habitus priuationem labantur; quem ſi recuperauerint, à die reſtitutionis habitus per decennium ad commendas conſequendas inhabiles reddantur: ſi verò frater obedientiæ fuerit, pariformiter omni adminiſtratione & habitu priuetur. Priores quoque & Caſtellanus empoſtæ pari crimine conuicti, & contra eos per Magiſtrum & conuentum, modo quo ſupra prouiſo, ſi contumaces fuerint, priuatione Prioratuum, & habitus eo ipſo incurrant, quemadmodum de alijs ſancitum eſt. L.

# DE EISDEM.

## F. PHILIPPVS DE VILLERS LISLEADAM.

SI quis fratrum noſtrorum natum ſibi ex inceſtuoſo complexu filium, quem ne inter liberos quidem nominandum leges volunt, impudenter agnouerit, & palàm quaſi ſuum aluerit, ſuo familiari ac gentilicio cognomine impoſito, is nullo vnquam in ordine noſtro officium, beneficium, dignitatem, conſequi poſſit. Publicos autem concubinarios in noſtro ordine, quos rectius inceſtuoſos, adulteros, & ſacrilegos dixerimus, ad ſuſceptionem quorumcunque bonorum dignitatum, officiorum, beneficiorumve inhabiles eſſe volumus; & ſi quid habent, illo à nobis non immerito exutos, fratrum quoque noſtrorum numero eximendos decernimus. Publicum autem concubinarium intelligimus non tantum vt Canones volunt, eum cuius concubinatus per ſententiam aut confeſſionem in iure factam, ſeu per rei euidentiam, quæ nulla poſſit tergiuerſatione celari, notorius eſt: verum etiam eum qui nullo hominum pudore, & ſpreto Dei timore, profeſſionis ſuę immemor, mulierem de incontinentia ſuſpectam aut infamatam tuetur, ſeu vt dicitur, tenet, alitque, & cum ea ſimul habitans frequentem habet conſuetudinem. LI.

# *CASVS QVIDAM PROPTER QVOS Fratres incurrunt pœnam ſeptenæ.*

## CONSVETVDO.

QVi non intereſt in Aſſemblea, qui recedit ab officio diuino, qui eſt in ſeptena & ſurgens nõ reddit gratias Deo, qui interrumpit ſermones conciliariorum in concilio, qui comedit ſine habitu: ſi fratres ad inuicem calumniati fuerint, ſi ſuperior de eis querelam fecerit, quilibet ſit in ſeptena. LII.

## CASVS QVIDAM PER QVOS FRATRES *incurrunt pœnam quarantenæ.*

### CONSVETVDO.

LIII. PRimo qui nõ obedit præceptis in factis armorum, non poteſt incurrere pœnam minorem quarantenæ. Qui aleas aut ludum taxillorum, vel alios fortuitos pro denarijs exercent; qui intromittunt ſe de officio alterius, pœnam quarantenæ incurrunt. Frater qui cõmedit in cauponis & popinis ſit in quarantena.

## FORMA EXEQVVTIONIS *pœnæ ſeptenæ.*

### CONSVETVDO.

LIIII. FRater qui erit poſitus in ſeptena, ſeptẽ diebus continuis ieiunabit, ac quarta & ſexta ferijs ipſorum ſeptem dierum, pane & aqua dumtaxat veſci debet, & illis diebus recipiat diſciplinam hoc modo: Depoſito pallio ſiue mantello, flexis genibus ante altare coram ſacerdote ordinis noſtri, humiliter ſtabit qui virga dorſum percutiens dicet Pſalmum; Deus miſereatur noſtri, &c. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c. ℣. Saluum fac ſeruũ tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mitte ei domine auxilium de ſancto: ℟. Et de ſyon tuere eũ. ℣. Eſto ei domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oratio. Deus cui proprium, &c. Poſtea vero ſurget frater, & accipiens pallium ſiue mantellum, Superiorem, ſeu Baiuliuum oſculabitur.

## FORMA EXEQVVTIONIS *pœnæ quarantenæ.*

### CONSVETVDO.

LV. SI verò poſitus fuerit in quarantena, quadraginta diebus continuis ieiunabit, & quarta ac ſexta ferijs dictorum quadraginta dierum pane & aqua tantum veſcetur, comedens in terra: qualibet verò quarta & ſexta ferijs diſciplinam ſuſcipiet modo ſequenti: Comparebit coram ſacerdote omnibus veſtibus nudatus, & pedibus diſcalceatus, presbyteroque dorſum eius virga percutiente, dicet: Miſerere mei Deus, &c. cum orationibus prædictis. Qui ad ſeptenam vel quarantenam condemnati fuerint, non debent recedere à ſuis domibus, niſi cum vadunt ad eccleſiam: debent autem intereſſe omnibus officijs diuinis. Qui ad duas vel tres quarantenas aut ſeptenas condemnati fuerint, vnius tantum quarantenę vel ſeptenæ diſciplinam ſuſcipiant. Si verò erit iudicatus ad pœnam quarantenæ & ſeptenæ, patiatur diſciplinam quarantenæ tantum; ſed eo tempore arma deferre non poterunt, & veſtę longa cum chlamyde habitus noſtri induti incedent.

## DE EO QVI TER AD TVRRIM condemnatus fuerit.

F. PETRVS DAVBVSSON.

SAncimus, quòd quicunque frater, delictis ſuis ita exigentibus, ter ad turris carcerem condemnatus fuerit, priuetur antianitate trium annorum; tamen pro delictorum qualitate moderatio pœnę reſeruatur arbitrio Magiſtri & concilij ordinarij. LVI.

## QVOD ANTIANITAS PER LINGVAS aut Prioratus reſtitui non poſſit.

F. PETRVS DE MONTE.

STatuimus, vt qui pro aliquo delicto ad amiſſionem antianitatis condemnatus extiterit; illa in poſterum ei reſtitui non poſſit, etiam de gratia linguarum aut Prioratuum, ita vt Magiſter licentiam tractandi de huiuſmodi reſtitutione antianitatis dare non poſſit, quam ſi dederit, nullam eſſe volumus. LVII.

## DE HIS QVI EXTRA CONVENTVM habitum dimiſerint.

F. ELIONVS DE VILLANOVA.

SI frater diabolico ſpiritu ductus, aut inconſtantia motus, extra conuentũ propria auctoritate habitum noſtri ordinis dimiſerit: poſtea penitentia ductus ad ordinem reuerti voluerit, tunc tutè & liberè in conuentum venire, & hoſpitale infirmorum intrare poſſit, cui Infirmarius de neceſſarijs prouideat, donec de illo per Magiſtrum & conuentum, ſuper miſericordia danda aut deneganda ordinatum fuerit. Quòd ſi miſericordiam non conſequetur, eundi quo ſibi placuerit faculta s conceditur. LVIII.

## DE OBEDIENTIA.

F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

NIhil eſt quod maiori cura & ſtudio tueri debeamus quàm obedientiam, qua ſublata omnis ſocietas diſſoluitur. Itaque maiorum noſtrorum ſtatutis adhęrentes decernimus, vt omnes & ſinguli fratres noſtri cuiuſcunque ſint gradus aut conditionis, iuſtis & honeſtis Magiſtri & ſuperioris iuſſis, præceptis & mandatis, nulla excuſatione parere & obtemperare debeant. Quòd ſi frater in conuentu exiſtens eorum mandato non obedierit, pro ea prima inobedientia pœnam ſeptenę ſubeat; ſi ſecundò etiam obedire recuſauerit, quarantena puniatur; ſi verò ita ſe contumaciter geſſerit, vt tertiò iuſſus non pareat, habitu priuetur, quòd ita intelligitur, ſi de eo querela poſt quodlibet iuſſum non impletum facta fuerit. Idem ordo ſeruetur extra conuentum in Prioratibus, pœna priuationis habitus Magiſtro & conuentui ſemper reſeruata, ad quos proceſſus LIX.

contra rebelles confecti à Prioribus mitti debeant. Præterea ſi quiſpiam fratrum noſtrorum extra conuentum exiſtens, primo mandato Magiſtri & conuentus obedire noluerit, vbi primum de eius inobedientia & rebellione conſtiterit, abſque alia citatione, monitione, aut proceſſu, niſi intra nouem menſes à die intimationis mandati legitimas & ſufficientes cauſas impedimenti miſerit, habitu priuetur. Ad officium Priorum & Caſtellani empoſtę, & eorum locatenentium ſpectat exequutioni mandare in ſuis Prioratibus, & Caſtellania empoſtæ ſuis impenſis ſententias & ordinationes Magiſtri & conuentus, Capitulorum etiam generalium & prouincialium, & alias prouiſiones, mandata, citationes & reſcripta omnia ipſius Magiſtri & conuentus, quæ pro publicis ordinis noſtri negocijs facta fuerint, & ad eos directa, quæ autem priuatorum negocia ſpectabunt, impenſis eorum qui dictorum mandatorum exequutionem proſequentur. Quòd ſi requiſiti id facere neglexerint, aut recuſauerint, pro prima omiſſione, ſeu recuſatione amittāt fructus pro vno anno alicuius camerarum ſuarum Prioralium; ſi ſecundo, fructus duorum annorum: ſi tertio, fructus ipſius cameræ perpetuò applicentur noſtro cōmuni ærario. Si verò pertinaciter in ea negligentia & omiſſione perſeuerauerint, Prioratu & omni adminiſtratione priuentur. Mandantes receptoribus noſtris in dictis Prioratibus & Caſtellania empoſtæ, quòd ſi Priores vel Caſtellanus empoſtæ dictas impenſas facere recuſauerint, ipſi ſupplere debeant de pecunijs noſtri communis ærarij, & de illis ſummis, quas pro ea re exburſabunt, dictos Priores & Caſtellanum empoſtæ in ſuis computis debitores ſcribere. Quòd ſi tales prouiſiones, mandata, & reſcripta directa forent ad Baiuliuos, Commendatarios & alios fratres, pro prima omiſſione & recuſatione Baiuliuus & Commendatarius priuentur tertia parte fructuum vnius anni Baiuliuatus aut commendæ, pro ſecunda duobus tertijs, pro tertia totis fructibus commendæ ærario applicandis; pro quarta commenda priuentur, de qua Magiſter & conuentus prouideant. Si verò fuerit frater conuentualis, pro prima amittat vnum annum antianitatis, pro ſecunda duos, pro tertia tres, pro quarta in perpetuum, niſi ſupradictis omnibus in commiſſione maior pœna imponatur; & nihilominus teneantur ad refectionem damnorum & intereſſe partium.

## DE MALIS ADMINIſtratoribus.

### IDEM MAGISTER.

LX. QVi Prioratus, Caſtellaniam empoſtæ, Commendas, domos, aut alia bona ſuę adminiſtrationi commiſſa, culpa ſua, aut negligentia deteriora fecerit, ſtatim vbi de dicta deterioratione conſtiterit, Prioratu, Caſtellania empoſtæ, commendis, officijs, & omni adminiſtratione in perpetuum priuetur tanquam adminiſtrator inutilis, & bonorum noſtrorum diſſipator, ſine ſpe aliàs conſequendi; eadem pœna punientur, qui ſiluas veteres, quas nemora alta vocant, ceciderint, præterquam pro reparatione commendæ, & ædificiorum, quorum curam habet, & pro moderato vſu domus in qua ipſe habitat, qui vſus intelligitur de lignis ſiccis, & fructum non ferentibus. Cæduas tamen ſiluas, quæ renaſcuntur & repullulant, & ſtatis annis cædi ſolent, vti poterunt more regionis & loci in quo ſitæ ſunt.

F. IOANNES DE VALLETTA.

ADijcientes, & præcipientes Prioribus & Caſtellano empoſtæ, quod quam primum ſibi, quod etiam per ſe inquirere debent, compertum fuerit, ac de huiuſmodi ignauis ac inutilibus adminiſtratoribus ſibi conſtiterit, eis interdicta bonorum omnium adminiſtratione, in quibus tam malè verſati ſunt, commendas alicui fratri noſtro prudenti & fideli regendas & gubernandas, donec peracta inquiſitione de huiuſmodi caſu Magiſtrum & conuentum certiores reddant, ac per eos fuerit prouiſum, tradant: quòd ſi Prior, & Caſtellanus ipſe aut Baiuliuus in ea culpa fuerit, ad requiſitionem & inſtantiam Receptorum, & procuratorum communis ærarij per Capitulum ſeu Aſſembleam prouincialem, habita prius ſuper id diligenti inquiſitione, & veritate comperta, vnus vel duo commendatarij probi & fideles, qui gubernationi & regimini Prioratus ſeu Baiuliuatus intendant, eligantur, donec Magiſter ipſe & conuentus de huiuſmodi mala adminiſtratione certiorati, maturius & proprius prouideant. LXI.

## DE POENA EORVM QVI NON *interſunt officijs diuinis.*

IDEM MAGISTER.

FRatres noſtri qui diebus feſtis non interfuerint officijs diuinis in eccleſia noſtri conuentus, & præſertim Miſſæ maiori, veſperis, & proceſſionibus ſolemnibus, niſi legitimè impediti fuerint, ſeptenæ pœnam ſubeant. Qui vero tempore celebrationis diuinorum officiorum diebus feſtis in plateis, vel per vicos, aut etiam in alijs eccleſijs deambulantes reperti fuerint, quarantena puniantur. LXII.

## QVOD FRATRES IN IVDICIO *non vtantur iniurijs.*

IDEM MAGISTER.

PRohibemus fratribus noſtris, ne coram Magiſtro & concilio, aut quouis alio ordinis noſtri tribunali, vel coram quibuſuis commiſſarijs, inter litigandum, ſe ad inuicem conuicijs, aut verbis iniurioſis afficiant: qui contrafecerit, ſi grauis iniuria fuerit, de cauſa cadat, ita vt eo ipſo ſine aliqua probatione aut allegatione in fauorem partis aduerſæ, cui iniuria illata fuerit, ſententia feratur, & in carcerem turris conijciatur per ſex menſes; ſi vero leuis per tres menſes tantum. LXIII.

## *QVOD NVLLVS FRATER TEMPORE celebrationis capituli generalis, in palatio armatus incedere valeat.*

### F. IOANNES LEVESQVE DE LA CASSIERE.

LXIIII. PRohibemus ordinis noſtri fratribus, ne durante tempore celebrationis capituli generalis, tam offenſiua, quàm defenſiua arma deferre audeāt, demptis ſocijs Magiſtri, & quibus ipſe licentiam dederit. Qui contra fecerit tres annos antianitatis acquiſitæ vel acquirendę perdat.

IN HOC VINCES

# VALLETAE CIVITAS MONTE REPLETA.



# DE VERBORVM SIGNIFICATIONE TITVLVS DECIMVS NONVS.

## F. CLAVDIVS DE LA SENGLE.

APpellatione fratrum veniunt quicunque ordinem noſtrum profeſſi ſunt. I.

COnuentus is eſſe intelligitur vbi Magiſter vel eius locumtenens, Eccleſia, II.
Infirmaria, & Albergia, ſeu octo linguæ conſiſtunt.

STatuta & ſtabilimenta in ordine noſtro ea ſunt, quæ perpetuò durant, niſi III.
expreſſè per capitulum generale reuocentur. Ordinationes verò ſunt quę non niſi vſque ad aliud ſequens capitulum, & non amplius durant, niſi quæ nominatim fuerint confirmatæ.

ALbergia nomen familiare eſt Italis, Gallis, & Hiſpanis, quod Hoſpitium IIII.
ſignificat, ſicq. vocantur domus in quibus fratres noſtri per nationes vnà comedunt, & congregantur.

PIllerij vocantur octo Baiuliui conuentuales, capita, & prȩſides, ac veluti V.
columnæ nationum. Nam columnas vulgus pillerios vocat.

APpellatione Bailiorum ſiue (vt dicimus) Baiuliuorum comprehenduntur VI.
Baiuliui conuentuales, & capitulares, Priores, & Caſtellanus empoſtȩ, Bailij autem antiqua Gallorum lingua dicebantur domorum aut aliorũ prȩdiorum prȩfecti vel adminiſtratores, vnde commendȩ à maioribus noſtris Bailiæ dictæ ſunt. Bailias enim Galli etiam nunc vocant prædiorum locationes vel ad certum tempus, aut ſub conditione conceſſiones.

MAreſcallus, qui Baiuliuus conuentualis eſt venerandȩ linguȩ Aluernię vo- VII.
cabulum eſt militare, quod Galli à Germanis vſurpant, quo nomine tribunos militum vocant.

TVrcopolerius Baiuliuus conuentualis venerandæ linguȩ Angliȩ dicitur VIII.
à Turcopolis, qui, vt in hiſtorijs bellorum à Chriſtianis in Syria geſtorũ habetur, equites erant leuis armaturȩ.

VBicunque dicitur Concilium ſimpliciter & abſolutè, tam in ſtatutis quã IX.
in libris Cancellariȩ intelligi debet de concilio ordinario.

X. ESgardium Gallica vox eſt,& ſignificat rationem,conſiderationem ue, ſeu (vt ita dicam) reſpectũ;quod quidem eſgardium eſt antiquiſſimũ & primum iudicium domus Hoſpitalis.

XI. REnfortium ex eadem lingua ſumptum,idem eſt quod corroboratio,vel(vt ſic dicam) fortificatio,& inde Renfortium Renfortij,videlicet corroborationis corroboratio.

XII. QVandocunque de Prioribus tractatur,intelligitur etiam de Caſtellano empoſtæ,& de Prioratibus de Caſtellania empoſtæ.

XIII. ASſembleas Galli congregationes vocant, quo verbo vtimur quando fratres noſtri pro aliquibus rebus ad ordinem noſtrum ſpectantibus vnà cõueniunt.

XIIII. IN aſſembleis Priorum extra conuentum, tres ſaltem fratres prȩter caput & præſidem in conuentu recepti adeſſe debent.

XV. APpellatione commendarum veniunt Prioratus,Caſtellania empoſtæ, Baiuliuatus,prȩdia,membra,domus,poſſeſſiones, & alia quæcunque bona ordinis noſtri.

XVI. VBi in ſtatutis aut literis noſtris fit mentio de beneficio,intelligimus de beneficio eccleſiaſtico curato vel ſine cura.

XVII. MOrtuarij appellatione intelliguntur fructus commendæ, qui colliguntur à die obitus commendatarij ad proximum feſtum ſanctorum Philippi & Iacobi.

XVIII. VAcans in commenda accipimus pro fructibus vnius anni, qui tranſacto mortuario, nomine communis ærarij colliguntur.

XIX. ARreragia ſunt vetera debita, ſeu reliquum debitorum.

XX. VBicunque loquitur de iuribus communis ærarij,intelligendum eſt de ſpolijs,mortuarijs, vacantibus, reſponſionibus, impoſitionibus, penſionibus,paſſagijs,& arreragijs.

XXI. OB eiuſmodi iura non ſoluta tantum cẽſentur fratres noſtri eſſe debitores, vt commendis & adminiſtrationibus quas poſſident priuentur ſine ſpe alias conſequendi. Pro alijs autem debitis non cenſentur debitores communis ærarij ad effectum prædictũ,niſi prius legitimè moniti fuerint per Receptores & procuratores in Prioratibns, & in conuentu per Conſeruatorem conuentualem,& pro illis condemnati,vel ea confeſſi fuerint.

XXII. CAbimentum vocabulum eſt Gallicum,à cabire,quod ſignificat aliquid aſſumere,de quo qui ſe putat rationem probè reddere poſſe,ſic vocatur prima commenda quæ fratri ſuo ordine conceditur.

XXIII. MOtitio,quod ſmutitio vulgo dicitur,etiam Gallica dictio eſt, & ſignificat nominationem ſiue prõnũciationem;nam veteri Gallorum lingua motire idem eſt quòd dicere, nominare, vel pronunciare;eo vtuntur fratres in linguis cum declaratur cui cõmenda,cuius adminiſtratio vacat, cõceſſa fuerit.

PEr filios arnaldos intelliguntur hi,qui nouiſſimè poſt alios ordinem noſtrũ ſunt profeſſi, quaſi tyrones. Quod quidem vocabulum, quod & ipſum Gallicum eſt, in terra Sancta frequens & commune fuit;nam qui illic ex patribus Chriſtianis nati erant, Polani dicebantur, qui verò in partibus citra marinis nati eò veniebant, ab eis filij arnaldi vocabantur. XXIIII.

LInguas in ordine noſtro vocamus nationes. XXV

COllecta eſt cum fratres vnà congregantur,ad aliquid ad ſuam linguam vel albergiam pertinens tractandum,à colligendis aut cogendis in vnum fratribus dicta. XXVI.

HAbitu priuatus,cẽſetur priuatus omnibus commendis,beneficijs, & antianitate,etiã ſi expreſſum nõ fuerit, & in carcere perpetuo detineri debet. XXVII.

VBi certa pœna non ſtatuitur, intelligitur arbitrio ſuperioris. XXVIII

PLancta,vocabulum eſt Gallicum, & ſignificat querelam. XXIX.

CArauana, Syrorum & Arabum lingua ſignificat congregationes hominũ, vt vnà aliquid negocij peragant,à maioribus noſtris vſurpatum in delectu fratrum habendo,cum ad ſubſidia per arces & triremes diſtribuuntur aut aliò per turmas mittuntur. XXX.

SOldea, à ſolido dicta,quod eſt nũmi genus,Gallis,Italis,Hiſpanis vſitatũ, vnde ſoldea ſtipendium dictum eſt. XXXI.

GIgliati nummi quidam argentei,in quibus Lilium,quod inſigne eſt Gallorum,inſculptum erat; Itali enim lilium giglium appellant, quorũ ſex florenum Rhodi conſtituebant. Nonnulli tamen eum nummum à fratre Roberto de Iuli Magiſtro appellationem ſumpſiſſe arbitrantur, quòd ab eo inſtitutũ putent,vt ſinguli gigliati ſingulis fratribus ſecũda quinquageſimæ feria diſtribuãtur. Quod quidem minimè conſtat. XXXII.

FLorenus Rhodius aſpra Turcica viginti continet; aſprum vnum denarios Rhodios ſexdecim; floreni autem Rhodij tres, aſpra ſex, denarij octo aureum ſolarem conficiunt. XXXIII

IAnneti etiam nummi erant argentei,à Iano Rege Cypri, cuius nomine cudebantur,vt quidam exiſtimant. XXXIIII.

DEſpropriamentum,eſt veluti priuati abdicatio, cum fratres id declarant, quod in ſupellectili, aut re domeſtica & familiari habent. XXXV.

FRatres qui in via moriuntur ad conuentum venientes,vel ab eo diſcedentes,in conuentu mori cenſentur. XXXVI

F. IOANNES DE HOMEDES.

IN probationibus fratrum militum, appellatione parẽtum,pater & mater, aui & auiæ paterni & materni intelliguntur. XXXVII.

# CONCLVSIO STATVTORVM.

## F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

NON intendit neque vult neque ordinat præſens capitulum generale, vt per huiuſmodi renouationem, reformationem, & nouam Statutorum editionem ſuperius deſcriptam, aliquo modo directè vel indirectè, in genere aut in ſpecie, dignitatibus & prærogatiuis alicuius, cuiuſcunque gradus fuerit, derogetur & prȩiudicetur. Nos igitur auctoritate capitulari fungentes, & ipſi ordinationi firmiter inhærentes; Sancimus, decernimus, ſtatuimus, ordinamus, & expreſsè declaramus, quòd huiuſmodi renouatio, ordinatio, & noua editio Regulæ, ſtatutorum, conſuetudinum, & vſuum ordinis noſtri, nullo pacto, quouis quæſito colore, præiudicium, damnum, alterationem, mutationem, variationem, mutabilitatem generet, aut generare ſeu afferre qualitercunq; poſſit gradibus, ordinibus, ſeſſionibus, præſidentiȩ, auctoritatibus, prærogatiuis, præeminentijs Magiſtri, Eccleſiæ, Hoſpitalitatis ſeu Infirmariȩ, Communis ærarij, Baiuliuorum, tam conuentualium quàm capitularium, Priorum, Caſtellani empoſtȩ, octo linguarum, fratrum earum cuiuſcunque gradus fuerint, ſcilicet Militum, Capellanorum, & Seruientium, ac Prioratuum etiam collationibus, atque pactis, conuentionibus & concordijs, ratione dictarum collationum de gratia, per linguas, Prioratus, aut Caſtellaniam empoſtȩ ſeu fratres earundem, cum Prioribus & Caſtellano empoſtæ ordinis noſtri factis & initis. Quinimo dictȩ prȩeminentiȩ, prȩrogatiuȩ, & pacta ſuper dictis collationibus Priorum, & Caſtellani empoſtȩ facta ſint & eſſe intelligantur, atque remaneant realiter & cum effectu in eo ſtatu & qualitate, robore, vigore quo erant ante huiuſmodi renouationē, & nouam editionem ordinatam, ſub hac expreſſa reſtitutione & intentione, vt prędictis propterea nullum generetur prȩiudicium.

QVas quidem leges & ſtatuta ſupraſcripta, per nos accuratè ac diligenter lecta, conſiderata, & examinata, tamquam ſancta & iuſta, ordiniq. noſtro vtilia & neceſſaria, per præſentes in vim capituli generalis, laudamus, approbamus, acceptamus, & confirmamus, ac de nouo ſtatuimus & condimus, deletis, reuocatis, caſſatis, cancellatis, & annullatis omnibus & quibuſcumque alijs Statutis, Sgardijs & vſibus, in antiquis ſtatutorum noſtrorum libris & voluminibus ſcriptis & contentis. Declarantes nihilominus atque ſtatuentes per hanc renouationem, priuilegijs & immunitatibus ordinis noſtri, aut dignitatibus, ordinibus, ſeſſionibus, præeminentijs, & prærogatiuis Magiſtri, Baiuliuorum, Priorum, Caſtellani empoſtæ, linguarum & fratrum, cuiuſcunq; gradus aut conditionis fuerint, nullo pacto præiudicium generari; vobis mandātes, & in virtute ſanctæ obedientiæ prȩcipientes, vt dicta ſtatuta ſupraſcripta, & omnia in eis cōtenta, perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obſeruetis, illisq. fideliter pareatis & obtemperetis, ac pro legibus habeatis & ſeruetis, & haberi & ſeruari curetis. In cuius rei fidem & teſtimonium, bulla noſtra communis plumbea prȩſentibus eſt appenſa. Datum Melitæ in Cōuentu noſtro, durantibus retētionibus Capituli generalis. Die xxiij. Menſis Iulij. M.D.Lxxxiiii.

*F. Didacus ab Ouando Vicecancellarius.*






# INDEX MATERIERVM

## QVAE IN TOTO VOLVMINE CONTINENTVR.

PER FRATREM PTOLEMAEVM VELTRONIVM EIVSDEM ORDINIS MILITEM

*CVM FIGVRIS, E ARVNDEMQVE SENTEN tijs, ac magnorum Magiſtrorum Imaginibus, nuper adiectus.*



ROMÆ, CVM PRIVILEGIO. 1588.





# INDEX MATERIERUM VOLUMINIS.

## A


ABSENTES à conuentu fratres paruæ Crucis, magnam Crucem conſequi non valent, niſi in aliquo Religionis officio, vel iuſto impedimento detineantur, & qui ab hac lege ſint exempti. ſt.8.de Electio.fol. 139

Abſentes fratres à conuentu ſine expectatiua commẽdas aßequi non poſſunt. ſt.7.de Commen.fol. 146

Abſentes Reip. cauſa durãte legatione antianitate gaudent. ſt.11.de Commen.fol. 147

Adminiſtratores mali quomodo puniãtur. ſt. 60.& 61. de Probi.& pœn.fol. 196.& 197

Admirati auctoritas in mari q̃ ſit. ſt.3.de Baiul.fol.103

Admirati poteſtas ſuper armamentis, & eiuſdem prærogatiua quæ ſit. ſtat. 8.9.& 33. de Baiul.fol. 106. 107.& 115

Aegroti quotidie viſitandi, & à quibus. ſtat.2.de Hoſp. fol. 31

Aegroti in Infirmaria modeſtè ſe gerere debent. ſt.14. de Hoſp.fol. 35

Aegroti Fratres à Medicis licentiati Menſa Infirmarij decem dierum termino frui poſſunt. ſt.14.de Hoſpi:fol. 35

Aegrotis Fratribus in ſuis cameris degentibus per triduum tantum neceſſaria miniſtrantur impenſis Religionis. ſt.15.de Hoſp.fol. 35

Aegroti fratres termino 24.horarum confiteri, & Euchariſtiam ſumere tenentur, & deinde Deſpropriamentum facere. ſt.16.de Hoſp.fol. 35

Aegroti Fratres quomodo, & quibus eorum bona manifeſtare debeant. alias quam pœnam incurrant. ſt. 63.de Commu.æra.fol. 60

Aerarij Iura, & bona in litibus impendi non poßunt, & contrafaciẽtes puniũtur. ſt.46.de Com.æra.f.61

Aerarij Iura ſoluere negligentes poßeſſiones commendarum amittunt, quæ à Receptoribus retineri debẽt, donec ærario ſatisfactum fuerit, & reſiſtentes commendis ipſo facto priuati exiſtunt, etiã ſi minores eſſent.14.annis. ſt.19.de Com.ærar.fol. 46.& 47

Aerarij Iura quo tempore, & inquo loco ſint exoluenda. ſt.20.de Commu.ærar.fol. 47

Aerarij Iura omnes ſoluere tenentur quocunque impedimento non obſtante anno quolibet, & in pecunia numerata. ſt.2.& 3.de Com.ærar.fol. 42

Albergiæ nomẽ quid ſignificet. ſt.4.de Verb.ſig.fol.201

Alemanni fratres an in conuentu præſentes procuratores habere poſſint. ſt.11.de Concil.fol. 80

Alienationem quorumcunque inhibitio, niſi certis caſibus, & de licẽtia, earumdemq; reuocatio. ſt.8.9.10. 11.& 12.de Cont.& Aliena.fol. 171.& 172

Angli Fratres an in conuentu præſentes procuratores habere poſſint. ſt.11.de Concil.fol. 80

Annus approbationis ad quid inſtitutus, & qua prærogatiua fruatur. ſt. 28.de Receptio.frat.fol. 13

Antianitas non cenſetur Fratribus reſtituta per habitus reſtitutionem. ſt.40.de Recept.fra.fol. 17

Antianitatis ordo in Eccleſia, & Proceſſionibus ſeruãdus eſt. ſt.9.de Eccle.fol. 21

Antianitas numeratur à die paſſagij ſolutionis. ſt.15. de Commu.æra.fol. 46

Antianitas per Linguas, aut Prioratus reſtitui non poteſt. ſt.57.de Probib.& pœn.fol. 195

Antianorum reſidentia in conuentu multis de cauſis eſt neceſſaria. ſtat.8.de Electio.fol. 139

Apoſtolorum Feſtiuitates ſub officio duplici ſolemniter celebrandæ. ſt.11.de Eccle.fol. 21

Appellare quando liceat. ſt.20.de Concil.fol. 82

Appellare intra quod tẽpus liceat. ſt.12.de Cõc.fol.82

Appellationes ad quẽ deuoluãtur. ſt.22.de Conc.fo.83

Appellationes intra quod tempus proſequendæ finiendæque ſint. ſt.23.de Concil.fol. 83

Appellare ad quem poſſint Capellani obedientiæ, & ſeruientes officij. ſt.24.de Concil.fol. 83

Arbitrium ſuperioris locum habet vbi certa pœna non ſtatuitur. ſt.28.de Verb.ſig.fol. 203

Archiuium per Priores in Prioratibus faciendum eſt, cuius expenſis, & quid in eis reponendum ſit. ſt.12. de Prior.fol. 126

Arma cuiuſuis generis in ſpolijs fratrum reperta demptis enſibus, & gladiolis ad ærarium pertinent. ſt. 35.de Commu.ærar.fol. 51

Armare nauigia quibus Fratribus non liceat, & ſub

qua pœna.ſt.17.de Probib.& pœn.fol. 185

Armare in Conuentu Nauigia quibus, & quādo liceat. ſt.18.19.& 20 de Probib.& pœn.fol. 185

Arreragia quæ ſint.ſt.19.de Verb.ſig.fol. 202

Artilleriæ, pulueres, & ſalpetræ à locis Religionis extrahi non poſſunt, niſi per Magiſtrum, & Concilium completum.ſt.23.de Probib.& pœn.fol. 186

Aſſemblea quid ſit, & quot fratres eam compleant. ſt. 13 & 14 de Verb.ſig.fol. 202

Aſſemblea in deliberationibus ſuis ſcrutinio vti debet alias nullæ cenſentur.ſt.17.de Concil.fol. 81

Audientia publica quando celebrari, & quæ perſonæ ibi intereſſe debeant, & quid in ea agendū ſit. ſt.35. & 36 de Concil.fol. 86

Auditores Computorum quomodo eligantur, quam facultatem habeant, quid facere debeant, & quando mutentur.ſt.56.& 57.de Com.ærar.fol. 59

B

Baiuliuorum appellatione qui comprehendantur, & de eorum nominis etymologia.ſt.6. de Verb. ſig.fol. 201

Baiuliuorum numerus, ac nomina, quæ ſint.ſtatu.45.de Baiul.fol. 119.& 120

Baiuliuorum Conuētualium nomina, & cur fuerint inſtituti,ſt.1.de Baiul.fol. 105

Baiuliui conuentuales ſuarum linguarum præſides exiſtunt.ſt.1.& 45.de Baiul.fol. 105.& 119

Baiuliuorum conuentualium ſtipendium, & eorum loca tenentium.ſt.28.de Baiul.fol. 113.& 114

Baiuliuis conuentualibus à conuentu abeſſe quando liceat, & quam pœnam incurrant, ſi intra ſtatutum tempus non reuertantur.ſt.39.de Baiul.fol. 117

Baiuliui conuentuales extra conuentum electi, vbi magnam Crucem ſumere debeant, & intra quātum tēpus ad Conuentū accedere, & quid ſoluere eorū loca tenentibus teneantur.ſt.40.& 41.de Baiul.fol. 118

Baiuliuis conuentualibus dumtaxat Antianitates ad dignitates conceduntur, fallit tamen aliquando, vt ibi. ſt.44.de Baiul.fol. 119

Baiuliui Capitulares quibus linguis ſint communes. ſt.45.in fine de Baiul.fol. 120

Baiuliui Capitulares cur ita dicātur, & quando fuerint inſtituti.ſt.45.de Baiul.fol. 119

Baiuliui Capitulares alias dignitates cōſequi nō valēt, niſi probauerint ſe Baiuliuarum capitularem melioraſſe.ſt.18.de Com.fol. 148

Baiuliui Capitulares electi tenentur offerre Eccleſiæ aliquod munus æſtimationis ſcutorum 25.auri ad minus, alias debitores cenſentur.ſt.31.de Eccle.fol. 28

Baiuliui in prouincijs degentes ad Capitulum Prouinciale ſui Prioratus accedere debent, alias pœnam incurrunt.ſt 15.de Capit.fol. 73

Baiuliui in concilijs procuratores habere poßunt.ſt.13. de Conc.fol. 80

Baiuliui officiales per eos electos officijs priuare nō poſſunt, & quid ſi contrafaciāt. ſt.10.de Baiul.fol. 107

Baiuliuis non licet ſuarum dignitatum præeminentijs vti, niſi poſt adhibitam diligentiam conſequendi ipſarum poſſeſſionem.ſt.16.de Prior.fol. 128

Baiuliui.ſeu magnæ Crucis fratres in numero xvj. electionariorum Magiſtri aſſumi non poſſunt.ſtat.1.de Electio.fol. 136

Baiuliui ad Prioratum promoti quas commendas retinere poſſint.ſt.4 de Commen.fol. 145

Baiuliui ordinationibus, & mandatis Magiſtri, & Superiorum non parentes, quam pœnam incurrant. ſt.59. de Probib.& pœn.fol. 196

Ballotandi vſus cur fuit inuentus.ſt.18.de Concil.fol. 81

Ballotandi forma inter plures competitores dignitatis, vel officij quomodo ſeruetur.ſtatut.18. de Concil. fol. 81

Ballotarum æqualitate quando cauſa ad Concilium cōpletum remittatur.ſt.18. de Concil.fol. 81

Beneficium ſimpliciter loquendo quomodo intelligatur. ſt.16.de Verb.ſig.fol. 202

Beneficia Eccleſiaſtica ad ordinem pertinentia fratribus ordinis cōferri, & intra quod tempus debent.ſt. 62 & 63.de Com.fol. 160

Beneficiorum Eccleſiaſticorum à Cameris Prioralibus, vel cōmendis dependentiū prouiſio, quando ad Priores, Baiuliuos, aut Commendatarios, & quando ad Magiſtrum pertineat.ſt.59.60.& 61.de Com.fol. 159.& 160

Blaſphemiæ, & Iuramenta Fratrum quomodo puniantur.ſt.40.& 41.de Probib.& pœn.fol. 190

Bona Religionis à quibus, & ad quid collata.ſtat.1.de Com.ærar.fol. 41

Bona omnia fratrum ordini pertinent.ſtat.63.de Com. ærar.fol. 60

Bona ſtabilia quomodocunque per fratres noſtros acquiſita diſtrahi non poſſunt, & cui commendæ applicentur.ſt.57.de Commen fol. 158

Bullari quæ ſcripturæ debeant, & in bulla quæ imagines ſculpi.ſt.38.de Conc.fol. 87

Burſæ in Generali Capitulo quomodo, & cur præſententur, & reſtituantur.ſt.1.de Capit.fol. 66

C

Cabimentum quod vocabulum ſit, & quid ſignificet, ſtat.22.de Verb.ſign.fol. 202

Cabreuationes in omnibus melioramentis ſunt neceßariæ, alias non approbantur.ſt.21.22.de Commen. Moderationem verò id recipit.ſt.23.eod.fol. 149

Cameræ Magiſtrales quæ ſint, & cur Magiſtratui annexæ.ſtatut.8.de Magi.fol. 100

Capellani quales eße debeant. ſt.18.de Receptio.frat. fol. 9

Capellani extra Conuentum à quibus, qua cauſa, quādo & qui recipiātur.ſt.29.& 30.de Recept fra fol. 13

Capellani pro quolibet fratre defuncto Miſſam celebrare tenentur, & Diaconi, & Subdiaconi Pſalterium recitare.ſt.15.de Eccle.fol. 24


Capel-

# INDEX


Capellanus Infirmariæ à quo deputari, qualis eſſe debeat, & de eius officio. ſt. 9. de Hoſp. fol. 33

Capellani obedientiæ ad aliud Iudicium quàm ordinis noſtri fratrem trahere non poſſunt ſub pœnis vt ibi. ſt. 44. de Concil. fol. 88

Capellani quatuor Palatij Magiſtralis quid facere teneantur. ſt. 17. de Magi. fol. 102

Capellani, & clerici omnes in conuentu exiſtentes præter capellanos Magiſtri ſunt Priori eccleſiæ ſuppoſiti. ſt. 5. & 6. de Prior. fol. 124. & 125

Capitaneus exercitus terreſtris, & claſſis per quos, & quomodo, & de quibus linguis aſſumi, & eligi debeat. ſt. 16. de Elect. fol. 141

Capitulum Generale quomodo celebretur, & quis ordo in eo ſeruetur, & quæ negocia tractentur. ſt. 1. de Capit. fol. 65. & 66

Capitulũ Generale Impoſitiones, & reſponſiones declarat. ſtat. 1. de Com. ærar. fol. 41

Capitularis in negotijs proprijs diffiniendis à cæteris excluditur, & quod per reliquos concluditur robur obtinet. ſt. 10. de Capit. fol. 71

Capitularium aliquis impeditus, alius eligi debet, & quomodo. ſt. 11. de Capit. fol. 71

Capitulares quouis modo conclaue perturbantes quas pœnas incurrant. ſt. 12. de Capit. fol. 71. & 72

Capitulũ Generale quindecim diebus non feriatis apertum durat, clauſum verò ad arbitrium Magiſtri, & Concilij. ſt. 14. de Capit. fol. 72

Capitulum Prouinciale alienationes bonorum ordinis ſub grauiſſimis pœnis tractare non poteſt. ſtat. 8. de Cont. & alien. fol. 171

Carauana quid ſignificet. ſt. 30. de Verb. ſig. fol. 203

Carauanæ quot, & quomodo fieri debeãt, & qui ab eis ſint exempti. ſt. 8. & 9. de Commen. fol. 146

Carauanas facere nullus poteſt niſi xviij. annum attigerit. ſt. 9. de Commen. fol. 146

Caſtellanus Empoſtæ, & Caſtellania Empoſtæ intelligũtur vbicunque de Prioribus, aut Prioratibus tractatur. ſt. 12. de Verb. ſig. fol. 202

Caſtellanus quomodo eligatur. ſt. 14. & 15. de Electio. fol. 141

Caſtellanus, & Iudex cur delinquentes in Infirmaria confugientes cuſtodiri faciant ſt. 25. de Hoſp. fol. 38

Cauſæ inter fratres ſummariè, & ſine figura Iudicij expediuntur, quamuis aliquando prouiſiones, & teſtes admittantur. ſt. 1. de Conc. fol. 77

Cauſæ tres tantum in vnoquoque Concilio proponi poſſunt, & quid prius partes facere teneantur. ſt. 7. de Conc. fol. 78. & 79

Cauſæ inter milites, & fratres capellanos, & ſeruientes per Magiſtrum, & Concilium decidi debent. ſt. 15. de Conc. fol. 80. & 81

Cenſus à fratribus empti quando pro bonis ſtabilibus, vel Mobilibus habeãtur. ſt. 58. de Commen. fol. 159

Chirurgi Infirmariæ quales eſſe debeant. ſtatut. 12. de Hoſpi. fol. 34

Citari fratres nõ poſſunt niſi prius per Magiſtrũ, & Cõcilium ordinarium deliberetur. ſt. 5. de Conci. fol. 78

Clericis adoleſcentibus præceptores deputandi ſunt, quibus ſtipendium ab ærario aſſignatur. ſtat. 24. de Eccle. fol. 26

Collecta quid ſit. ſt. 26. de Verb. ſig. fol. 203

Collectæ Linguarum quæ negocia tractare poſſint. ſtat. 29. de Conc. fol. 85

Collectarum duæ tertiæ partes concordes præualent. ſt. 30. de Conc. fol. 85

Commendarũ appellatione omnia bona ordinis veniũt. ſt. 15. de Verb. ſig. fol. 202

Commendæ vnde nomen ſumpſere. ſtat. 1. de Commu. ærar. fol. 41

Commendarum adminiſtratio quibus committatur. ſta. 1. de Commen. fol. 145

Commendarum redditus non extimatur ſecundum verum valorem. ſt. 10. de Com. ærar. fol. 44

Cõmendæ vacantis, ſi nullus illius linguæ ſit capax ærario applicantur fructus. ſt. 14. de Com. ærar. fol. 45

Commendæ male ſoluentibus ablatæ quibus committãtur. ſt. 27. de Com. ærar. fol. 49

Commendis per habitus priuationem ablatis ærarium fruitur, donec integrè ſibi debita exegerit, & poſtea Mortuarium, & Vacans currere intelligitur, deinde noui prouiſi prouentus conſequuntur. ſt. 29. de Com. ærar. fol. 50

Commendæ ærario incorporatæ quæ ſint. ſt. 66 de Com. ærar. fol. 60

Commenda della Finica Magiſtralis eſt. ſt. 9. de Magi. fol. 100

Commendæ de gratia quomodo, & quæ per Magiſtrum conferantur. ſt. 24. 25. & 26. de Commen. fol. 150

Commendæ in quibus eſt Iuriſdictio ſanguinis per quos & quibus ſint committendæ. ſtat. 34. de Commen. fol. 154

Commẽdatarij Eccleſias ſuas reſtaurare, manutenere, easq; libris Eccleſiaſticis, & vtenſilibus diuino vſui aptis munire, & Capellanos idoneos eligere tenẽtur. ſt. 26. de Eccleſ. fol. 26

Commendatarius paruæ commendæ quomodo eligatur & ſe gerere debeat. ſt. 3. de Hoſp. fol. 32

Commendatarij in Prouincijs degentes ad Capitulum Prouinciale ſui Prioratus accedere tenentur, alias pœnam incurrunt. ſt. 15. de Capi fol. 73

Commendatarij granarij officium, & ſtipendium quale ſit. ſt. 17. de Baiul. fol. 110

Cõmendatarij voltæ, granarij, & paruæ cõmendæ quibus rationẽ reddere quolibet mẽſe teneãtur, & quid ſi contrafaciant. ſt. ij. & 33. de Baiul. fol. 107. & 115

Commendatarius Tercinalis, & Voltæ à quo eligatur, quanto tempore duret, quibus computa reddere quolibet menſe teneatur, eius ſtipendiũ quod ſit, & alia plura ſuper dicto officio. ſt. 33 de Baiul. fol. 115

Commendatarij in infirmitate conſtituti ſi membra aliqua conceſſerint, an & quando conceſſio valeat. ſtat. 14. de Magi. fol. 101

Commendatariorum Iuriſdictio in fratres Capellanos obedientiæ, & ſeruientes officij. ſt. 5. de Prior. f. 124

Commendatarij abſente Priore Eccleſiæ ſuper Capel-


lanos

in eorum commendis reſidentes Iuriſdictionem habent.ſt.7.de Prior.fol. 125
Commendatarij ad Prioratum promoti quas commendas retinere poſſint.ſt.4.de Commen.fol. 145
Commendatario permittitur commendam de Cabimento melioratam pro ſuo melioramento retinere,& denuo melioratam,aliã pro ſecundo melioramẽto accipere.ſt.35.& 36.de Commen.fol. 153
Commẽdatarij expenſas litium tempore Mortuarij,& Vacantis factas communi ærario ſoluere tenentur, & quando.ſt.6.de Locat.fol. 177
Commendatarij copiam locationis ſuarũ commendarũ Receptoribus mittere tenẽtur.ſt.10.de Loc.fol. 177
Commendatarij extra conuentum degentes ordinationibus Magiſtri,& Conuentus nõ parentes quãm pœnam incurrant.ſt.59.de Prohib.& pœn.fol. 196
Commiſſarij incidentia,& emergentia cauſarum iudicare debent.ſt.20.de Conc.fol. 82
Commiſſariorum petitiones non veniunt in numero cauſarum in concilijs proponendarũ.ſt.7.de Conc.f.79
Computorum definitio non Priori,& Capitulo Prouinciali,ſed Magiſtro,& Conuentui ſpectat. ſtat.43.de Commu.ærar.fol. 54
Concio in Eccleſia Conuentus quibus diebus fieri debeat.ſt.20.de Eccl.fol. 25
Concilium duplex eſt, & qui in concilijs interueniant. ſt.2.de Concil.fol. 77
Concilium ſimpliciter de concilio ordinario intelligitur. ſt.9.de Verb.ſig.fol. 201
Concilium ſine Magiſtro, vel eius licentia haberi non poteſt.ſt.2.de Conc.fol. 77
Concilium quodlibet in decidendis cauſis ſcrutinio vti debet, alias deliberationes nullæ cenſentur. ſtat. 16. de Concil.fol. 81
Concilium completum, Magiſtro defuncto, habet vim Capituli generalis.ſt.1.de Electio.fol. 135
Concubinarij fratres,& illegitimos filios habẽtes acriter puniũtur.ſt.50.& 51.de Prohib.& pœn.fol.193
Condemnati per cameram computorum nõ poſſunt appellantes audiri,niſi prius Iudicatum ſoluerint.ſtat. 22.de Com.ærar.fol. 48
Conductores commendarum commendatarijs priuatis reſpondere non poſſunt,& quid ſi reſpondeant.ſt.23. de Com.ærar.fol. 48
Confiteri peccata ſua quibus perſonis debeant Fratres, & quando.ſt.6.& 7.de Eccle.fol. 20
Congregationes linguarum quietè ſe habere debent, & fratres pro eorum ordine,& gradu ſuffragium dare. ſt.26.de Concil.fol. 84
Conſeruator communis ærarij quomodo eligatur, & quod ſit eius officium,& ſtipendium.ſta.55.de Com. ærar.fol. 58
Conſiliarij abſentis, vel ſuſpecti loco, alius admittitur, qui iuxta formam iurare tenetur. ſtat. 4. de Concil. fol. 78
Conſiliarij quando pro ſuſpectis allegari nequeant.ſtat. 4.de Concil.fol. 78
Conſiliarij cum ſilentio litigatores audire debent ne fauorem dare dignoſcantur, alias vt ſuſpecti excludi poſſunt.ſt.6.de Concil.fol. 78
Conſtitutionibus,& ſtatutis Religionis per quoſcunque proceſſus ad requiſitionem Receptorum non cenſetur derogatum.ſt.31.de Com.ærar.fol. 57
Conſeruator conuentualis cũ Magno conſeruatore quomodo diſtribuant ſoldeas.ſt.24.de Baiul.fol. 112
Conſuetudo, & vſus ſtatuto ſcripto cedit, non ſcripto præualet.ſt.19.de Concil.fol. 81
Conuentus quis eſſe intelligatur. ſtat.2.de Verbor.ſign. fol. 201
Crucem octogonam cur deferant fratres.ſtat.2. de Regu.fol. 2
Curatis,ſeu rectoribus,& vicarijs,& Beneficiarijs,quibus fructus beneficiorũ non ſufficiunt quomodo conſulendum ſit.ſt.27.de Eccl.fol. 27
Cuſtodia in Turri Caſtri Rhodi per quos facienda ſit, quis cuſtodes eligat, & qui ad ſtipendiũ cuſtodũ ſoluendum teneantur.ſt.20.de Elect.fol. 142.& 143

D

Debita fratrum defunctorum ex quibus bonis creditoribus ſoluantur. ſta.59.& 60.de Com.ærar. fol. 59
Debita communis ærarij à Generali Capitulo ſolum remitti poſſunt.ſt.69.de Com.ærar.fol. 62
Debitores contumaces in Iuribus ærarij ſoluendis,quã pœnam incurrant.ſtatut.20.& 21.de Comm.ærar. fol. 47.& 48
Debitores ærarij ad dignitates,officia,& bona quæcunque inhabiles exiſtunt.ſtat. 24.25 & 26.de Comm. ærar.fol. 49
Decreta concilij reuelari non poſſunt,nec odio, aut amore ſententia ferenda.ſt.3.de Conc.fol. 78
Deſpropriamentum quid ſit.ſt.35.de Verb.ſig.fol. 203
Deſpropriamentum quando faciendum ſit,& qua pęna puniatur non faciens.ſt.6.de Eccle.fol. 20
Deſpropriamentis ægrotorum Prioris Infirmariæ ſigillo ſignatis plena fides adhibetur.ſt.16.de Hoſp.fol. 35
Deſpropriamenta omnia fratrum in camera communis ærarij regiſtrari debent.ſt.17.de Hoſp.fol. 36
Deſpropriamentum facere quolibet anno vnuſquiſque fratrum tenetur,& quid cõtinere debeat,& quibus ſit conſignandum.ſt.9.de Offi.frat.fol. 133
Donati quomodo recipiantur.ſtat.34.& 37.de Recept. frat.fol. 14.& 15
Donati ſine iuſſu Magiſtri admiſſi inter donatos non reputantur,neque priuilegijs gaudent.ſt.35.& 37.de Recep.frat.fol. 15
Donati tres tantum ramos Crucis deferre poſſunt.ſtat. 36.& 37.de Recept.frat.fol. 15
Donati quales eſſe,& coram quo qualitates probare,et quid ordini offerre debeant.ſtat.37.de Recept.frat. fol. 15
Donati Baiuliuis, & eorum vicegerentibus obedire tenentur, & quid ſi contrafaciant.ſtatut.31.de Baiul. fol. 114

Donati

Donati ſub grauiſſima pœna res litigioſas acceptare, non poſſunt.ſt. 10.de Probi.& pœn.fol. 183
Duella prouocantes, acceptantes, conſilium, auxilium, fauorem præſtantes, libellum diſfidationis affigentes, aut ipſa ſpectantes, præter Sacri Concilij, & Gregorij xiij.pœnas ſeueriſſime puniuntur.ſt.38.de Prohib.& pœn.fol. 190

E

ECcleſiæ conuentus omnia bona diuino cultui deputata in ſpolijs fratrum reperta applicari debent, niſi priuatis Eccleſijs adſcripta reperiantur.ſtat.29. de Eccleſ.fol. 28
Electio xvj.Capitulantium quomodo fiat.ſt.1.de Capi. fol. 66
Electione Magiſtri peracta quid ſtatim agatur,& quid ſi Magiſter fuerit abſens à Conuentu,& quid ſi fuerit præſens.ſt.1. de Elect.fol. 137
Electio Priorũ,& Baiuliuorum ad Magiſtrum,& Concilium ordinarium pertinet,quomodo fiat,& quæ pœna infligatur fratribus contra ordinem electioni interuenientibus.ſt.3.& 5.de Elect.fol. 137.& 138
Eleemoſinæ in commendis ſolitæ dari debent. ſt. 27. de Hoſp.fol. 38
Eligi nullus fratrum in Baiuliuum, aut Priorem poteſt, qui annos quindecim habitum non geſtauerit,& decem annos in Conuentu reſederit.ſt. 9.& 10.de Electio.fol. 139
Equi fratrum decedentium, & omnia animalia, quæ equitari ſolent ad ærarium pertinent. ſt. 34. de Com. ærar.fol. 51
Equis aptis pro cuſtodia Inſulæ ærarium Monſtras dare debet.ſt.71.de Com.ærar.fol. 62
Equi paſſagij Mareſcallo præſentandi ſunt, & quid de eis agendum.ſt. 20. de Baiul. fol. 111
Eſgardium quid ſignificet.ſt.10.de Verb.ſig.fol. 202
Euchariſtiæ Sacramentum quater in anno per fratres recipiendum eſt.ſt.4.& 5.de Eccle.fol. 20
Expectatiuæ ſine præiudicio Iurium communis ærarij, ac præeminentiæ Magiſtralis, aut Prioralis intelliguntur ſtat. 18.de Commu.ærar.fol. 46

F

FAcinora quibus habitus pœna, & maior ſtatuitur, quæ ſint. ſt. 30.31.32.33. & 34. de Prohib. & pœn.fol. 188.& 189
Feriæ in Iudicijs Religionis ſeruandæ.ſtat.43.de Conc. fol. 88.& 89
Filij Arnaldi qui intelligantur, & quod vocabulum ſit. ſt.29.de Verb.ſig.fol. 203
Florenus Rhodius quantum valeat, & quot à Villaguto Infirmariæ legati fuere.ſt.33.de Verb.ſig.f.203. & ſt.24.de Hoſp.fol. 37
Forma Procuratorij mandati pro Capitulo Generali tam Priorum,quàm Baiuliuorum,& Commendatariorum.ſt.8.& 9.de Capi.fol. 70
Fratrum appellatione qui veniant.ſt.1.de Verb.ſignifi. fol. 20
Fratres præcipue Deum colant,& rebus diuinis intendant.ſt.1.de Eccl.fol. 19
Fratres,qui officijs diuinis non interſunt, quam pœnam ſubeant.ſt.62.de Prohib.& pœn.fol. 197
Fratres dum Diuina celebrantur nec Corũ intrare,nec Altari adhærere poſſunt.ſt.8.de Eccle.fol. 21
Fratres præuaricatores ſeuere puniuntur. ſt. 2.de Reg. fol. 2
Fratres Pullati comitari funera non poſſunt.ſtat.22.de Hoſp.fol. 37
Fratres defuncti quomodo ſepelliuntur. ſt. 20.de Hoſp. fol. 36
Fratres in bonis Religionis nihil proprij,aut priuati Iuris habent.ſt. 1.de Com.ærar.fol. 41
Fratres Capitulo Generali incorporati ad illud accedere tenentur, alias tanquam inobedientes puniuntur. ſt.3.& 4.de Capit.fol. 68.& 69
Fratres quauis de cauſa à Capitulo Generali abſentes cenſentur Capituli decretis conſenſiſſe. ſt.6. de Capit.fol. 69
